Q. D. B. V!

DE

ANIMARUM SEPARATARUM STATU

EARUNDEMQVE

CUM VIVIS COMMERCIO

IN ALMA VVITTENBERGENSI

PRAESIDE

GOTTLIEB WERNSDORFIO

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBLICO CONSIST.
ECCLES. ASSESSORE ECCLES. OPPID. PASTORE ET SUPERINT.
GENERALI ORDINISQVE SUI H. T. DECANO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES CAPESSENDI

AD d. VIII. NOV. cIɔ Iɔcc-XXV.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

PUBLICE DISPUTABIT

M. PAULUS BERGER

SERENISSIMAE PRINCIPIS ANHALTINAE VIDUAE
ECCLESIASTES AULICUS, CONFESSIONARIUS ET COTHENAE
ECCLESIAE LUTHERANO-EVANGELICAE PASTOR.

WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

57700
18

58700 (B)
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Etiamſi Deus ea, quæ nobis ad ſalutem ſunt cognitu neceſſaria, ſuo in verbo ſatis copioſe prolixeque aperuit; tamen, quæ ſit animarum noſtrarum conditio poſt mortem, quo loco res ſuas habeant, quid moliantur, & agant, tam parce, adſtricteque, nos docuit, ut facile pateat, nolle Deum, de his talibus, plura, quam oporteat, hac in vita cognoſci. Qua quidem ſapientiſſima reſervatione procul dubio monere nos voluit, non eſſe, quare de his cognoſcendis magnopere laboremus: Satius eſſe, numero beatorum cœlitum per fidem adſcribi, quam ſtatum eorum operoſius ſcrutari. Debebamus etiam in hoc benigni Patris conſilio acquieſcere, & ab omni, præpoſtera ſaltem, ſtatus cœlitum indagatione abſtinere. Verum, quæ ingenii humani ſolertia eſt, nullo non tempore, de hoc etiam argumento, curioſius, quam utilius, aliquando etiam majore cum pertinacia, quam ſucceſſu, eſt diſputatum. Nonnulli enim divinando aſſequi voluerunt, quod e Scripturis non poterat hauriri, ingeniique ſui ſpeculationibus ſupplere, quod in divina revelatione fuerat, illorum opinione, præteritum. Alii attulerunt ſuſpiciones, quas conquiſitis undique rationibus, etiam e Scriptura petitis, incruſtare ac pingere ſtuduerunt, quas, cum paucis quibusdam approbaſſent, tandem pro veritatibus liquidis venditarunt. Hinc adeo factum, ut doctrina de noviſſimis, quæ quam modeſtiſſime, ſimpliciſſimeque, proponi debebat, multis nunc ſit difficultatibus implicita, & tot ſpinoſis, intricatisque, quæſtionibus diſtorta, ut nullum prope ſit in toto Corpore Theologiæ caput, quam hoc

ipſum, vexatius. Neque tamen propterea, cum CALVINO, *quæſtionem de ſtatu animarum inter mortem, & judicium extremum* nec decoram, nec utilem, adeoque ſtultam, ac temerariam, *) *judicamus. Cum enim aliquis animarum ſtatus, ni velimus earum immortalitatem negare, neceſſario ſit admittendus, veritatis, & noſtra, omnino intereſt, ut de eodem ſaltem ſic diſputemus, ne fidei, doctrinæque ſalutaris, integritas vel recta, vel oblique, lædatur. Quod ipſum, ut præſentis inſtituti unicum eſſe ſcopum ſancte ac religioſe teſtamur; ſic ut Numen propitium id ſua undiquaque gratia proſperare dignetur, percupimus.*

§. I.

Removebimus autem, relictis omnibus, unum & item alterum errorem, antequam ad caput rei aggrediamur. Initio nempe ſic diſputari cœpit de ſtatu animarum ſeparatarum, ut ne quidem de ipſo *ſeparationis tempore ac momento*, inter homines conveniret. CONIMBRICENSES enim contendunt, animas hominum poſt mortem ad tempus in corporibus remanere, etſi non informent, idque non ſolum per potentiam Dei extra ordinem, in uno, & item altero exemplo, fieri poſſe, ſed & ſemper, & in omnium hominum morte naturaliter fieri. Audiamus ipſos hac de re diſputantes: *Potentia, de qua loquimur, ſicuti motiva loco eſt, ita non majorem, quam localem, unionem ſui, cum re movenda deſiderat, ut in actum prodeat. Quapropter cum ea unio inter animam & corpus dari poſſit absque informatione, (ut liquet ex anima Chriſti ab inferis regreſſa, quæ ſepulto corpori prius aſtitit, quam per informationem illud animaret: liquet etiam in cujusvis hominis anima in morte, ubi diſſoluta in inſtanti informatione perſeverat adhuc*

*) Vid. CALVINVS *Inſtit. L. III. c. XXV. Sect. 6.*

huc localis præſentia animæ ad corpus, cum nonniſi immediate poſt ſit abitura) nulla ratio eſt, quin motum illi nequeat impertiri, ſi movendi potentia ſit prædita. a) GREGORIUS autem *de* VALENTIA id non tantum in toto corpore mortuo, ſed partibus etiam invicem divulſis, fieri poſſe credit. Certe *nihil obſtat*, ait, *quo minus in divulſis etiam partibus, & alibi, atque alibi, collocatis, poſſit divina virtute, anima præſens (ut erat in iisdem partibus conjunctis prius) retineri, ſublata tantum informatione.* Imo vero nonnulli ipſam realem ſeparationem, oblique ſaltem, ſollicitant. POLYCARPUS certe LYSERUS b) theologos eſſe docet non contemnendi nominis, *qui ſentiant, quando vere credens Chriſtianus moritur, tum animam non procul avolare a corpore in Cœlum Empireum, - - - - quo fortaſſe, ob diſtantiam loci tandem veniret*, ſed migrare (ut ſic loqui liceat;) intra ſeipſam, & in intima ſua, *ubi habitantem habet pretioſum illum hoſpitem, JEſum CHriſtum.* c) &c.

§. II. Nos autem, ne quid de rationibus ex natura petitis inſpergamus, huic errori vel unicum Chriſti exemplum opponimus. Hujus enim mortem in Cruce deſcripturus Lucas: ταῦτα, inquit, εἰπὼν ἐξέπνευσεν. *c. XXIII, 46.* d) qua voce plenaria, & totalis, animæ a corpore ſeparatio docetur. Quicquid enim eo ipſo temporis articulo & momento, quo corpus moritur, e corpore emittitur, ab eodem etiam vere, ac realiter ſeparatur, & *procul avolare* jubetur. Nec eſt, quod quis excipiat, aliam mortis Chriſti, aliam mortis noſtræ, rationem eſſe. Quia enim mors Chriſti fuit *vicaria* noſtræ, & *ſatisfactoria pro noſtra*, ejusdem eſſe debuit indolis cum noſtra, quando-

a) De anima ſepar. *Diſſ. VI, Art.* II.
b) in Exam. Myſt. *Calvini L. II, c.* 8.
c) In Harm. ad *Luc. XVII, v.* 21. *cap. CXXVI. f.* 1733.
d) conf. *Marc. XV*, 37. 39.

quidem id, quod a vicario & ſponſore præſtatur, perinde habetur, ac ſi ab eo ipſo præſtitum fuiſſet, qui pro ſe debet. Qua igitur ſe ratione habuit mors Chriſti, eadem ſe habet, & habere debet, mors omnium hominum. Et vero, ſi non in continenti anima Chriſti ſeparata fuiſſet a corpore, qui ad latronem, ſecum de cruce pendentem, dicere potuiſſet: *Hodie, hodie*, inquam, *mecum eris in paradiſo?* cum conſtet, corpus mortuum, eodem illo die, nec ita multo poſt, illatum in monumentum fuiſſe. Tam procul igitur per mortem anima cœpit abeſſe a corpore, quam procul aberat paradiſus a monumento, & cœlum a terra. Nam quod quis cum SMALCIO excipere velit: verba ſic diſtingvi poſſe, *dico tibi hodie, mecum eris in paradiſo*, ita, ut veritas promiſſi exprimatur, non tempus indicetur, quando futurus ſit ſecum latro in Paradiſo; id vero, quam ſit frigidum & dilutum, omnes intelligunt. Nec enim opus erat, ut latroni ſignificaretur, *quo die* Dominus cum eo loqueretur, cum id per ſe liqueret. Bene arguteque AMBROSIVS: Non *in aliud differtur tempus, non in diem alterum reſervatur. Ipſa hora, qua paradiſus Deum ſuſcepit, ſuſcepit & latronem.* e) Animam igitur latronis a corpore avolaſſe oportuit. Idem portentoſa vox arguit, per quam ad divitem quendam, & ad rem attentum, dicebatur: *ἄφρων, ταύτῃ τῇ νυκτί, hac ipſa nocte*, non autem aliquanto poſt, *animam tuam ἀπαιτοῦσι repetent abs te, Luc. XII. ℣20.* repeti autem animam, niſi vere a corpore ſepararetur, & aliorſum deferretur, dici non poſſet.

§. III. At nolo rei per ſe patenti, ac perſpicuæ, diutius immorari, quin potius hoc ſubjicio, etiam de *receptaculo* animarum a corporibus ſeparatarum, ad eadem vero per miraculum revocatarum, quæri ac diſputari ſole-

e) *T. III. OO. f.* 344. *edit. Froben. Serm. XLV.*

ſolere. Quod quidem *curioſum* eſſe, LORINVS Jeſuita f) cenſet, cum de *Abulenſi* ſcribit: *Excitat curioſam ſane quæſtionem de puero, quem ſuſcitavit Elias, & altero, quem Eliſæus, unde eorum animæ adductæ, ſeu reductæ fuerint.* Et omnino hæſitat hac in quæſtione diſcendi cupidus, & ubi pedem figat, vel tuto conſiſtat, vix invenit. Animam enim reſuſcitati vel in cœlo, vel inferno, fuiſſe oportuit: tertium, ex mente noſtratium, ipſiusque Scripturæ S. non datur. Si in cœlo & Paradiſo, male illi fuit conſultum, quod a cœleſtibus, nec a quoquam ſatis explicandis, deliciis ad has, quibus excruciamur in mundo, miſerias eſt remiſſa. Vix etiam poterit cum bonitate Dei conciliari, eos, qui probe cucurrerunt, jamque pervenerunt ad metam, non ſolum brabeo mulctatos, & in aliud tempus dilatos, ſed & ad curſum in ſtadio repetendum, remiſſos fuiſſe. Si in inferno, objicietur tritum illud: *Ex inferno nulla redemptio.* Namque & Poeta gentilis veritatem hujus agnovit, ſcribendo:

Facilis deſcenſus Averni,
Sed revocare gradum, ſuperusque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Et qui meruiſſet revocari ad vitam, ſaltem temporariam, qui jam juſto Dei judicio fuerat damnatus ad mortem, eandemque æternam? Nondum igitur liquere videbatur, an hi tales vel in cœlo, vel apud inferos verſati fuerint. Quod ſi quis, ad hoc declinandum incommodum, dicere velit, *fuiſſe in manu Dei*, vel etiam in ſinu Abrahæ, aut ſecreto Patris, ut veteres loquuntur, a Cœlo tertio diſtinguendis; ei vero primo probandum erit, ſinum Abrahæ, vel ſecretum Patris, a πȣ Beatorum, & Paradiſo eſſe diſtinctum: & ex *illo* aliquando redire animas, ex *hoc* non item. Deinceps, cum manus

Dei

f) ad *Cap. Act. XX, 10.*

Dei nihil non comprehendat, reddenda erit ratio, quare *Juſtorum* tantum *animæ in eadem* eſſe dicantur. Denique cavendum erit, ne Papiſtarum purgatorio fores aperiat, cum *in manu Dei*, vel ſinu Patris, eſſe, pro eorundem opinione, τῷ eſſe *in cœlo*, & eſſe in *inferno*, contradiſtinguatur.

§. IV. His igitur omnibus recte conſideratis, tutiſſimum erit, ſtatuere, animas bis mortuorum fuiſſe quidem in cœlo, & τȣ̃ Beatorum, ſeu Paradiſo, verum ut *Hoſpites*, non ut *Cives*, quique adeo epulis, deliciisque cœleſtibus interfuerint ut *Spectatores*, non ut *Convivæ*. Hoc tantum initio eſt præſtruendum, *ſtatum* felicitatis in cœlo, a τόπῳ, vel τȣ̃ Beatorum, ſeparari poſſe. Quod enim Becanus g) adverſariis ſuis ſubinde occinebat, idem nos quoque repetimus ac inculcamus: *Agimus de ſtatu beatitudinis, non de loco cœleſti. Nam hæc duo ſeparari poſſunt, & reipſa aliquando ſeparantur, ut triplici exemplo demonſtrari poteſt, 1) Chriſti Domini, qui in hac vita mortali fuit beatus ſecundum animam, & tamen non fuit in cœlo, 2) Angelorum cuſtodum, qui etiam beati ſunt, & tamen nobiscum in terra verſantur, 3) Dæmonum, qui initio creationis, antequam peccarent, fuerant in cœlo, & tamen non erant beati.* Quibus in exemplis etiamſi non nulla deſiderari queant, certum tamen eſt, Chriſtum, cum verſaretur in monte, *Matth. XVII.* fuiſſe in gloria, *ſplenduit enim facies eius:* ὡς ὁ ἥλιος, *c. 2.* nec tamen in *Paradiſo.* Invicem Paulum fuiſſe in Paradiſo *2. Cor. XII. 4.* nec tamen in gloria. Satanam quoque ſtetiſſe coram Domino, ſed procul beatifica viſione, *Jobi I, 4.* Apposite Lutherus noſter: *Die Engel im Himmel haben einen Spiegel, darein ſie ſehen, den der Teuffel nicht hat, ob er gleich ein geſchwinder, liſtiger, kluger Geiſt iſt: Dieſer Spiegel heiſt* Facies Patris, *unſers HErren GOTTes Angeſicht.* h) Quid igitur obſtat, quo minus idem de animabus bis mortuorum dicamus? §. V.

g) *P. II. Theol. ſchol. θ. l. de beat. c. I. qv.* 12.
h) *vid. T. V. Ien. Germ. Conc. I. vom Engeln p.* 336.

§. V. Verum ad id pergo, quod caput rei eſt, nempe, ut qualis, & quantus, ſit animarum ſeparatarum ſtatus, & numne quoddam in eodem habeant cum vivis commercium, inquiram.

§. VI. Hic autem non eadem omnium eſt opinio, ſed, ut arduum eſt, & ſubdifficile argumentum; ſic magna ſe prodit de eodem opinionum varietas. Jo. MEISNERVS, exquiſiti judicii, multæque doctrinæ, Theologus, quando de ſtatu animarum ſeparatarum more ſuo, id eſt, perſpicue, ordinate, accurateque, diſputat, *tres* præcipuas hac de re opiniones, duas nempe extremas, & tertiam, ut dici ſolet, mediam, reperiri, docet. i)

§. VII. *Primam*, ait, ſtatuere, animas hominum, ubi e corporibus migrarint, & ab iis ſeparatæ maneant, nec lætitia, nec triſtitia, affici, nec pati, aut intelligere quicquam, ſed ſine ſenſu, ac intellectu, hoc eſt, ſine vita, ſtertere, ac rerum omnium oblivione detineri, imo & profundo quaſi ſomno ſepultas eſſe.

§. VIII. *Alteram*, piorum animas in continenti ad plenam perfectamque felicitatem, nobis in cœlo præparatam, admitti; peccatorum autem finaliter impœnitentium animas ad cruciatus in inferno perfecte tolerandos damnari.

§. IX. *Tertiam* priores duas temperare, mediaque via incedere, quod nec plenam beatitudinem piorum, nec conſummatam miſeriam, & damnationem, impiorum animabus, ſed *initia* ſolum utriusque, tum his, tum illis, obtingere arbitretur, ſic tamen, ut illæ pleniorem felicitatem, cum indeſinenti lætitia expectent; hæ vero atrociores cruciatus, cum dolore, ac gemitu, vereantur ac metuant.

B §. X.

i) *vid. diſp. I. de ſtatu animarum ſepar. §. VII ſq.*

§. X. Neque vero diffiteor, ad has ipſas *tres* ſententias reliquas etiam ſuo quodam modo reduci poſſe. Interim, cum in argumento verſemur, quod novis quotidie opinionibus eſt opportunum, & controverſiis etiam obnoxium, videor mihi cum tutius, tum expeditius, progreſſurus, ſiquidem rem omnem paulo diſtinctius propoſuero, & ad plures ſententias revocavero.

§. XI. PRIMAM eſſe dixerim, *quod animæ, ſimul cum corporibus, intereant quidem, in reſurrectione vero, una cum iisdem, reſuſcitandæ ſint.* Hæc olim *Arabicorum* fuit opinio, vel ſaltem ab eadem proxime abfuit. Hi enim animas cum corporibus mori ac diſſolvi, & in fine demum ſeculi utrumque reſurgere, docebant, EVSEBIO k) teſte, ex quo repetit AVGVSTINVS, l) qui, cum auctore certo carerent, a loco *Arabicos* nominavit, DAMASCENVS m) autem, a præcipuo errore, θνητοψυχίτας, quod verbotenus eſt, *animimortales*, vocavit.

§. XII. Opinio ipſa putida eſt, & ne gentilibus quidem ſapientioribus probata, *Sadduceiſmum* etiam ſapit, pugnatque cum ſe ipſa. Videtur enim immortalitatem animabus hinc relinquere, hinc eripere. Omnino autem contrariatur Scripturis. *Anima* enim *non poteſt* occidi, *Matth. X, 28.* ergo nec interire, ac mori. Eſt potius *in manu Dei*, *Sap. III, 1.* Unde adeo Patriarchæ, Abraham, Iſaac, & Jacob, *vivere*, & adhuc ſupereſſe, dicuntur *Matth. XXII, 32.* etſi pridem mortui, nec dum reſuſcitati, fuerant. Adhæc ſpiritus *ad Deum redire* dicitur: *Eccl. XII, 7.* Latroni *paradiſus* promittitur: Paulus cum Chriſto eſſe diſcupit, *Phil. I, 23.* Quæ, niſi de ſuperſtitibus, prædicari non poſſunt.

§. XIII.

k) *L. VI. Hiſt. Eccl. c. 37. ed. Valeſ.*
l) *de hæreſ. cap. 83. p. 357.*
m) *in L. de hæreſ.*

§. XIII. Repreſſit eam, ac retudit ORIGENES, jam tum celebris Eccleſiæ doctor, quod idem EUSEBIVS, n) & poſt eundem NICEPHORVS, o) tradunt, unde adeo eadem prolixius confutanda ſuperſedemus, dum hoc unum adjunctum fuerit, poſſe hanc opinionem etiam per hoc refelli, quod Patriarchæ, Reges, & alii homines ſancti, poſt mortem, *ad populum ſuum congregati* dicuntur, *Gen. XXV, 8. XXXVI, 29. XLIX. 32.* Nec enim de corporibus commode dici poterit, quod ſint *populus*, cum reſolvantur in cineres. Intelligendum igitur erit de *animabus*, iisque ſuperſtitibus. *Nemo enim colligitur ad eos, qui non ſunt*, ut ORIGENES loquitur. Bene vero LUTHERUS noſter: p) *Quo tranſivit Abraham? Collectus eſt ad populos ſuos. An vero reſtant populi poſt hanc vitam? Sic enim ſonant verba, quaſi migraſſet de populo ad populum, de una civitate in aliam civitatem. Id vero eſt memorabile teſtimonium reſurrectionis & vitæ æternæ &c.* Addo, animas non interire cum corporibus, ſed manere ſuperſtites.

§. XIV. ALTERA opinio eorum eſt, qui *animas non quidem interire ac mori, ſed potius ſuperſtites manere, omnis tamen operationis expertes, nec intelligere quicquam, ac meminiſſe, nec velle, aut agere, ſed potius mortuis ſimiles, altoque ſomno ſopitas alicubi jacere, ac ſtertere, nec Deum videre, putant.* Præluſerunt huic, ne quid diſſimulem, Veteres, ſuis quibusdam *incautius* dictis, & ſcriptis. TERTVLLIANVS: q) *Affirmamus*, inquit, *nos manere poſt vitæ diſpunctionem & expectare diem judicii, proque meritis aut cruciatui NB. deſtinari, aut refrigerio, utroque ſempiterno. Quibus*

 ſuſti-

n) *l. cit.*
o) *L. V. c.* 23.
p) *ad Cap. XXV. Gen.* conf. *T. IV. Jen. germ. f.* 231. 6.
q) *de teſtim. animæ f. 66. ed. Rigalt.*

ſuſtinendis neceſſario Tibi ſubſtantiam priſtinam, ejusdemque hominis materiam, & memoriam, reverſuram, quod & nihil mali, ac boni, ſentire poſſis, ſine carnis paſſionalis facultate, & nulla ratio ſit judicii, ſine ipſius exhibitione, qui meruit judicii paſſionem. Clarius alibi: r) *Cur non putes, animam & puniri, & foveri, in infernis interim NB ſub expectatione utriusque judicii - - Quid igitur fiet in tempore iſto? Dormiemus? Atenim animæ nec in viventibus dormiunt: corporum enim eſt ſomnus, quorum & ipſa mors cum ſpeculo ſuo, ſomno - - Semper autem NB. expectat anima corpus, ut doleat, aut gaudeat.* Irenaeus, Patrum Princeps: s) *animæ*, inquit, *abibunt in inviſibilem locum, definitum eis a Deo, & ibi usque ad reſurrectionem commorabuntur.* Justinus, aut quisquis fuerit: *Ante reſurrectionem*, inquit, *vitæ cuique peractæ retributio non contingit.* Idem, t) *aſſervari quasque animas* docet, ἐν τοῖς ἀξίοις αὐτῶν τόποις, & *cuſtodiri* ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναστάσεως, καὶ ἀνταποδόσεως. u) Auctor vero antiqvus, ſub Athanasii nomine, *ad quæſtionem*: quænam ſit operatio hinc demigrantium animarum? reſpondet: ψυχὴ σώματος ἀπηλλαγμένη, οὔτε ἀγαθόντι, οὔτε πονηρὸν δύναται διαπράξασθαι. *Sicut enim Lyra, ſi non habuerit pulſantem, vana videtur & otioſa; ita et anima & corpus a ſe utrinque ſeparata, nihil operari poſſunt.* x) Addantur Origenes, Lactantius, & alii, quorum verba hic adſcribere non placet.

§. XV. Multo autem craſſius hoc ſtatuere, & pertinacius defendere, cœperunt *Anabaptiſtæ*, ac *Mennoniſtæ*, qui ſomniabant, animas a corporibus ſeparatas in cavernis

r) in Libro *de anima. f.* 306. *edit. cit.*
s) *L. V. c. ult.* 26. *f.* 356. *ed. Gallaſ.*
t) in *Quæſt. & Reſp. ad Orthod. qu.* 60. *in OO. Juſtini f.* 427. *ed. Colon.*
u) *Qu.* 75. & 76.
x) In *quæſt. ad Antiochum n. XXXIII. T. II OO. f.* 283. *ed. Commel.*

nis terræ, alto ſomno ſepultas jacere, intelligentiæ omnis, & actionis, expertes, quod edita eorundem Confeſſio y) teſtatur. Idcirco a CALVINO novo nomine dicti ſunt *Pſychopannychitæ*, quibus Ao. 1534. peculiarem libellum ſub titulo ψυχοπαννυχίας oppoſuit. z)

§. XVI. Mirum eſt, LVTHERO noſtro eundem hunc exploratum errorem, a Papiſtis, hodie imputari. Pari enim æquitate LVTHERO, & quod *purgatorium* crediderit, & quod cum *Pſychopannychitis* fecerit, tribuitur. Scio provocari ad locum aliquem LVTHERI, quem BELLARMINVS a) GRETSERVS, b) PISTORIVS, c) FEVARDENTIVS d) aliique, urgent: *Homo*, inquit, *defatigatus diurno labore ſub noctem intrat in cubiculum ſuum, tanquam in pace, ut ibi dormiat, & ea nocte fructus quiete, neque quidquam ſcit de ullo malo, ſive incendii, ſive cædis. Anima autem ſic non dormit, ſed NB. vigilat, & patitur viſiones, & loquelas Angelorum & Dei. Ideo ſomnus in futura vita profundior eſt, quam in hac vita, & tamen omnino coram Deo vivit.* Et iterum: *Anima poſt mortem intrat cubiculum ſuum ad pacem, & dormiens non ſentit ſomnum ſuum, & tamen Deus ſervat vigilantem animam, ſed quomodo? Neſcimus. Sufficit ſimilitudo ſomni corporalis, & quod Deus affirmat, eſſe ſomnum, quietem & pacem.* *) At enim quis non videt, LVTHERVM his in verbis non dicere de animabus, quod *dormiant*, ſed quod *vigilent*, & *vivant*; & patiantur viſiones

 nes

y) *p.* 160. 161. 166. *Protocoll. Embd. Act. p.* 122. 123.
z) Extat *Parte II. tract. var. p.* 449. Conf. WIGANDVS *de Anabapt.* & SCHLVSSELB. *L. de Anabapt.*
a) *L. I. de Beat. Sanct. c. I.* ex Frid. Staphylo.
b) *L. III. de fun. Chriſt. c.* 7.
c) in *Hodeg. c.* 12.
d) Ad Irenæum *L. II. c.* 63.
*) Conf. *T. III. Jen. Germ. f.* 211. *a.*

nes, ac loquelas Dei, & angelorum, Deum vero animas vigilantes ſervare. Utut etiam largiatur, dici de iis poſſe, quod dormiant, & quieſcant, negat tamen Megalander, ita *dormire*, ut homo vivus ſolet, cum ſpiritibus animalibus oppreſſis, ac omni fere ſenſu ceſſante nil agit, vel loquitur, aut videt, & audit, ſed mortuo ſimilis jacet. Et, qui crediderit Lvthervs, animas dormire, & viſione Dei carere, quum aperte ſcribat: *Nos certi ſumus, Salvatorem noſtrum JEſum Chriſtum ſedere ad dexteram Dei Patris & expectare nos decedentes ex hac vita. Quandocunque igitur excedimus e vivis, ad Epiſcopum animarum noſtrarum egredimur, qui recipit nos in manus ſuas.* e) Et paulo ante: *Verborum Chriſti ad latronem hæc eſt ſententia: Hodie mecum eris in Paradiſo, h. e. in ſinu meo. Ubi ego ſum, ſimiliter tu eris. Ubi cœlum & paradiſus idem ſunt &c.* Idem cum alias f) perveniſſet ad locum Apoc. XIV. *Beati, qui moriuntur in Domino*, & Papiſtarum interpretationem, *beatas ſcilicet talium animas eſſe in ſpe, non in re*, allegaſſet, rejicit eam, & dicit: *Ob Sie wolten eine fremde Gloſſe fürgeben, daß ſolche Seelen* in Hoffnung *ſeelig werden, noch nicht* im Weſen, *NB. das iſt nichts, denn ihre eigene Gloſſe. Könnens auch nicht beweiſen, ſo leydets auch der Text nicht &c.* Omnis igitur iſthæc opinio, niſi per injuriam, Lvthero imputari non poteſt.

§. XVII. Rectius ad *Anabaptiſtarum* errorem accedere dicuntur Sociniani; quippe qui animas non quidem interire, ſed potius ſuperſtites manere, concedunt, agere tamen quicquam & operari, negant, easdemque in infernum, locum non ſupplicii, ſed oblivionis, & ſilentii i

e) vid. *Comment. ad C. XXV. Gen.*

f) In *retract. doctr. de Purgatorio T. V. Jen. Germ. p.* 164. 6.

in infima terræ parte, detrudunt. Audiamus hac de re SMALCIVM: *Animas*, inquit, *ſanctorum reſtare poſt mortem credimus: redit enim ſpiritus hominis, teſte Scriptura ad Deum, qui eum dedit*, (quem locum idem hic Smalcius alibi *fere ſolum* eſſe dicit, *qui, animam hominis poſt mortem ſuperſtitem eſſe*, aperte confirmet g) *ſed, quia animam iſtam, vel ſpiritum hominis, poſt mortem aliquid ſentire, vel aliqua re perfrui, nec Scriptura teſtatur, nec ratio permittit, ut enim corpus ſine anima, ſic etiam anima ſine corpore, nullas operationes exercere poteſt, cum ſit pars tantum hominis, qua de cauſa iterum corpora promittuntur fidelibus in futuro ſeculo: ideo dici poteſt Sanctos nullo modo exiſtere, quoad totam ſui ſubſtantiam.* h) Idem SMALCIVS alibi inter vitam animæ, illiusque operationes diſtinguit: *Vivere*, inquit, *animam, ambigue dicitur: Eatenus, enim tantum vivere dici poteſt, quatenus eſt aliquid incorruptibile natura ſua, vel quod olim reddenda ſit fidelibus in adventu Chriſti. Rurſus vero, quia actiones nullas ſine corpore exercere nec ulla voluptate frui poteſt, non illo modo vivere dici poteſt, quo ea vivant, quæ per ſe exiſtunt, ut Angeli. Angeli enim ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, integræ & perfectæ, anima vero integri pars eſt.* i) Plura vide ſis apud CALOVIVM, QVENSTADIVM, aliosque ſyſtematum ſcriptores.

§. XVIII. Faciunt tamen, pro more, cum Sociniſtis ARMINIANI. Saltem Os eorundem, EPISCOPIVS k) tam exacte cum iis conſentit, ut tantum non *Smalcii* verba repetere videatur. Quæ tamen, ſi recte conſiderentur, non modo erronea ſunt, ſed & ſibimet ipſis contraria. Sic enim & vivet anima intelligens, quod eandem aliquid natura ſua *incorruptibile* eſſe largiuntur, & non vi-

g) vid. *Diſp. VII. c. Franz. p. 413.*
h) Vid. *Examen C. error. err. LXXXI. f. 33.* Conferatur idem *L. I. de error. Arian. c. 14. p. 147.*
i) Vid. *L. I. de error. Arianor. c. XIV. p. 147.*
k) In *Diſp. XXIII. §. 7.*

vivet, quoniam actiones vitales exercere non poteſt. Atqui animæ τὸ vivere proprius, &, ut ita dicam, naturalis illius actus eſt, quem etiam Liberator noſter eidem vindicat *Luc. XX, 38.* Dicit enim: *quod Abraham, Iſaac, & Jacob, quorum Deus ſit Deus, vivant.* Si vivunt, vivent vel ratione corporis, vel ratione animæ. Non ratione *illius*, quia ſunt mortui; ergo ratione *hujus*, & ita vivunt, ut ſimul Deum, & eſſe, & *ſuum* Deum eſſe, intelligant, quod ipſum actionum vitalium manifeſtum indicium eſt. Unde adeo EPISCOPIVS ipſe l. c. *non improbabilem eorum ſententiam eſſe credit, qui ſtatuant, Spiritum corpore ſolutum ſpeculari, & intelligere poſſe ea, quæ antea percepit*, ac proinde neutiquam dormire, quæ confeſſio ſufficit.

§. XIX. Addimus tamen, hanc opinionem non modo probabilem, ſed & indubitato Dei verbo ſuffultam eſſe. David enim dicit: *Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini Pſ. CXVIII, 17.* Apocalypſeos autem *Cap. VI, 10.* ſq. legitur, martyres ſub altari *voce magna Deo pæana canere*, illumque celebrare. Ex quo ſequitur, quod, etiam corporibus ſolutæ, *vivant* & *operentur.* Auctor Quæſtionum, ſub ATHANASII nomine, *malorum* quidem *animas* quidquam operari negat; de *ſanctis* vero: *αἱ τῶν ἁγίων ψυχαὶ*, inquit, *ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνεργούμεναι, μετ᾽ ἀγγέλων ἐν χώρᾳ ζώντων Θεὸν ὑμνοῦσι, καὶ ἀγάλλονται.* l) Bene vero TERTVLLIANVS, m) *animam* de ſuo *ſibi ſufficere*, docet, *ad utrumque titulum paſſionis, nempe ut & gaudeat, & ut doleat.* Quod ſi nihil intelligerent animæ, qui Lazarus potuiſſet in ſinu Abrahæ *ſolatio* recreari, cum fruſta ſit ſolatium, quod nec *intelligitur*, nec *ſentitur*? Numne credibile eſt,

l) *Qu. XXXII. T. II. OO. ed. Commel. f.* 283.
m) de anima ſub finem.

eſt; animam ejus deportatam fuiſſe in ſinum Abrahæ, animam vero ipſam ſeſe deportari *neſciſſe?* Qua *memoriam* vero, & *recordationem*, Chriſtus non modo introducit divitem de fratribus ſollicitum, ſed & Abrahamum eundem ſic alloquentem: *Memineris, fili, & Te tuis bonis in vita tua, & Lazarum malis eſſe defunctum. Nunc & hic in ſolatio, & tu in dolore es. Luc. XVI, 25.* Idem Servator: *Multi*, ait, *mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in tuo nomine vaticinati ſumus? Et in tuo nomine dæmonia expulimus? Et in tuo nomine multa prodigia effecimus?* Quibus verbis omnino uti non poſſent, niſi animæ præteritorum memoriam, etiam a corporibus ſolutæ, retinuiſſent. Ingenioſe non minus, quam eleganter, Cl. Vir Jo. ALBERTVS FABRICIVS, n) quo magis literatum Lipſia vix tulit, Hamburgum fovit, & aluit, hanc rem perſequitur: *Nihil magis*, inquit, *recordari eas, eſt vero ſimile, quam ſe fuiſſe veſtitas corpore, in eoque vitam vixiſſe. Hoc enim ſi poſſent oblivisci, cum præſertim ex eo ſubſequens ipſarum conditio pendere credatur, nullam omnino eſſe illorum memoriam, quod ad res præſentis vitæ attinet, vel ex ſe eſt evidentiſſimum. ---- Longe autem maxime animæ noſtræ meminiſſe poterunt earum rerum, quarum contemplatione, vel uſu ac conſvetudine, imprimis, & intime, in hac vita fuerunt delectati, ſive ſint res ſenſiles, ſive ab omni materia ac corporum natura remotæ ac repulſæ. Subibit igitur mentes noſtras memoria Dei, tum Angelorum, Parentum, Amicorum, & quæcunque nobis in his terris vel jucunda, vel moleſta, præ ceteris acciderunt. Denique menti noſtræ obverſabuntur actiones in hac vita noſtra, bonæ & malæ, & qua conditione coram facie Dei fuerimus, cum ex corpore diſcederemus.* Et paulo antea: *Neque vero*

n) in *Diſp. inaug. de recordat. animæ hum. p. 32. 33. ſq.*

huic reminiſcentiæ animarum in altera vita adverſatur, quod apud Matthæum legimus, juſtos Domino bona ipſorum opera in extremo die olim celebranti, dicturos: Quando Te, Domine, vidimus eſurientem, ut paverimus, aut ſitientem, ut potum dederimus? Quando autem Te vidimus hoſpitem &c. *Ex reſponſo enim Chriſti patet, illos memoriam factorum ſuorum non exuiſſe, ſed, quæ pauperibus præſtiterant, beneficia, ea Chriſto a ſe fuiſſe exhibita, præ modeſtia non agnouiſſe. Non minus expedita eſt, ad geminum impiorum in judicio dictum, reſponſio. Matth. XXV, 44.* Hiſce coronidis loco, cum eodem Viro Clariſſimo, adjungemus locum inſignem e libro Sapientiæ, qui utut non ſit a Salomone profectus, vel Θεόπνευςος, quæ tamen fuerit Eccleſiæ Judaicæ, de hoc argumento, ſententia, declarat: *Tunc ſtabunt magna cum fiducia Juſti in eorum conſpectu, qui eos preſſerint, eorumque labores labefactarint. Quo illi viſo gravi metu percellentur, & dicent: Hi ſunt, quos nos aliquando riſui habuimus, & contumelioſis dicteriis. Dementes, qui eorum vitam putavimus inſaniam, & exitum inhoneſtum. Ergone beatis annumerati ſanctorum conſortes ſunt? Ergo nos a vera via deerravimus, neque nos juſtitiæ lumen colluſtravit. - - Quid nobis ſuperbia profuit? Quid divitiæ cum arrogantia contulerunt? &c. Cap. V, 1. ſq.*

§. XX. Sic igitur dubium non eſt, animas, etiam corporibus exutas, & memoriam eorum, quibus interfuerunt in corpore, retinere, & pro conditione ſtatus ſui operari & agere. Quid vero? *Annon hinc ſequetur, easdem curam eorum agere, quos reliquerunt in terris?* Auctor, qui ſub Athanasii nomine quæſtiones ſcripſit, non audet de omnibus promiſcue affirmare, reſtringit ad Sanctos; Αἱ μὲν, inquit, τῶν ἁγίων ψυχαὶ πάντως. αἱ

δὲ

δὲ ἁμαρτωλῶν ἐν τῷ ᾅδῃ ἔσται οὐδαμῶς: τὴν γὰρ μένουσαν αὐτοῖς ἐκδεχόμενοι κόλασιν, εἰκότως περὶ ταύτης, καὶ μόνον, μεριμνῶσι, μηδενὸς ἑτέρου φροντίζοντες. n) Neque vero inficias iuerim, damnatorum animas ſuis de cruciatibus continenter cogitare, cum eos continenter ſentiant: Interim hoc non obſtat, quo minus eorum, quæ cum his cruciatibus quoquo modo cohærent, hinc cura, hinc memoria, tangantur. Credo enim, etiam mediis in cruciatibus, meminiſſe illos peccatorum, quibus eos meruerint, bonorum, quæ acceperint, temporis gratiæ, quod perdiderint, aliorumque. Saltem horum meminiſſe Abrahamus epulonem jubebat, *Luc. XVI, 25.* Sed & hic, ne per acceſſum, conſpectumque, fratrum, perinde cruciandorum, gravius etiam excruciaretur, metuebat, eaque de cauſa hos ipſos, de cruciatuum loco per pœnitentiam cavendo, præmoneri volebat. AVGVSTINVS ad hanc ipſam quæſtionem reſponſurus magnam eſſe initio, ac operis prolixioris, cenſet, mox tamen: *Si nulla ipſis eſſet*, inquit, *cura de nobis, non diceret Dominus, dixiſſe illum divitem, qui tamen jam apud inferos patiebatur: Habeo ibi quinque fratres, ne & ipſi veniant in locum hunc tormentorum.* Interim negat AVGVSTINVS, ſequi, *ut, ſi ſciant mortui, ſuos vivere, quia nec in locis pœnarum eos vident, ubi dives ille erat, nec in requie beatorum, ubi Lazarum & Abraham, quamvis longe, agnoſcebant: ideo eos etiam illa, quæ circa eorum charos agnatos, vel læta vel triſtia, ſcire neceſſe ſit.* o) Recte. Enimvero a notitia qualicunque *generali*, atque *confuſa*, ad omnimodam, *ſpecialem*, & *diſtinctam*, non licet argumentari. Hanc ne beatis quidem cœlitibus, nedum damnatis, aſſerere audemus.

 §. XXI.

o) Vid. *T. II. OO. Athanaſii qu. XXXII. f.* 283. *Ed. Commelin.*
p) In *Pſ. CVIII. T. VIII. OO. f.* 1265. *Ed. Froben.*

§. XXI. Quapropter ne illud quidem procul temperamento, & ſobria quadam interpretatione, concedere poſſumus, quod de beatorum deprecationibus apud Deum inſpergit *Celeb.* Avctor *des Schriffimäſſigen Unterrichts vor Krancke und Sterbende*,*) cum ait: *Seelig Verſtorbene beten vor ihre Hinterlaſſene, Apoc. VIII. 3. Hier iſt zu beobachten, daß wir Menſchen bleiben, auch wenn wir auſſer dem Leibe ſind, und alſo in der Ewigkeit das, was menſchlich iſt, nicht ablegen, auſſer ſo fern ſolches Sünde und Unvollkommenheit geweſen. 2. Cor. XII. 2. Und warum ſolte nicht auch von andern Gläubigen in ſeiner Maaß gelten, was von CHriſto unſerm erſtgebohrnen Bruder ſtehet, Ebr. IV. 25. Sterbende demnach um ihr Angedencken und Gebet anzuſprechen, macht die Hertzen des ewigen Lebens munter.* q) Hoc enim, meo judicio, eſt, omnem ſtatum beatorum, & vires, addo & loca Scripturæ S. largius juſto interpretari. Nec enim *Apoc. VIII. 3.* quem pro ſe allegat, agitur de precibus *mortuorum*, nedum precibus pro iis, *quos reliquerunt in ſeculo*; ſed de precibus *vivorum in regno gratiæ*, quibus ab interceſſione Jeſu Chriſti commendatio accedit. Hunc enim per Angelum intelligi debere e *Blaſio de* Viegas, Commentatore Pontificio, p. 340. Gerhardvs r) docet, & addit: *Hunc angelum eſſe Chriſtum Dominum, plerique interpretes confitentur. Neque enim alteri apte accommodari poſſunt, quæ hoc loco ponuntur. Cujus enim alterius eſt univerſæ eccleſiæ incenſa, hoc eſt, orationes in aureo thuribulo tantæ majeſtatis ſpecie offerre?* Vitringa, religione Reformatus, at ob dexteritatem interpretandi non contemnendus: *Neceſſario*, inquit, *intelligendus eſt CHriſtus JEſus, quippe qui ſolus ſua obedientia, & operatione ſui Spiritus fragrantiam conciliat precibus ſanctorum NB. in his terris.*

Deni-

*) *Stutgard.* 1723. q) *p.* 768. *n.* 13. r) ad *h. l. p.* 58.
s) Anacr. Apocalypt. *ad h. l. p.* 336.

Denique non memini, quenquam, ex omni commentantium numero, locum hunc accipere de precibus mortuorum, vel ſanctorum in cœlis, minime omnium de precibus pro relictis in terra fuſis, ad quod tamen probandum h. l. accommodatur. Eſto autem, non omnem nos humanitatem in morte deponere, animabus tamen plus humani, quam per earundem ſtatum felicitatis licet, tribui non debet. Orare illos pro neceſſariis ſuis in ſeculo relictis, ſimpliciter negare nolim, ſed nec procul temperamento, & cautelis, ſtatuendum hoc eſſe, exiſtimo. In vita enim æterna, ut connubia ipſa; ſic ex iisdem oriundi reſpectus, ſaltem quodammodo, ceſſaturi videntur. *Luc. XX. 34. 35.* Adhæc ſtatus beatorum omnis qua corpus, animam, & fortunas, vel momento mutari poteſt, quo de num quid certi quidpiam innoteſcere queat cœlitibus, non conſtat. Veturia quædam inter gentiles, moriens ad filium dicebat: *Cum animam meam ſublimis ille, & purus, æther, in quo Deorum filios & heroas ponunt, exceperit, illa pietatem tuam renunciabit, & gratiam ſibi, honoremque habitum, proque iis ſemper a Diis petet mercedem tibi, & præclara præmia.* t) Sed nos cum populo Iſraelitico dicimus: *Abraham neſcit nos, & Iſrael ignorat nos.* Jeſ. LXIII. 13. Maneat potius, quod a maioribus noſtris pie graviterque definitum fuit: *De ſanctis, concedimus, quod, ſicut vivi orant pro eccleſia univerſa,* in genere, *ita in cœlis orent,* pro eccleſia in genere, *tametſi teſtimonium nullum extet, de mortuis orantibus, in Scripturis,* (ergo nec Apoc. VIII. 3.) *præter illud ſomnium, ſumtum ex libro Maccabæorum poſteriore.* u) Fruſtra igitur etiam fuerit, moribun-

 dis

t) DIONYS. HALYCARN. *L. VIII. Antiquit. Roman.*
u) vid. APOLOGIA A. C. *Art. XXI. p. 356. ed. Reinecc.*

dis commendare ſuam, ſuorumque, ſalutem, vel eorum apud Deum deprecationem expetere velle: cum deprecatio pro ſingulis, ſingulorum quoque accuratam notitiam ſupponat, cujusmodi in defunctos non cadit.

§. XXII. *Quidni vero*, dixeris, *cum mortui per alios recentius mortuos de ſtatu, fatisque, relictorum in ſeculo edoceantur?* Ita quidem ſtatuit modo excitatus Auctor *des Unterrichts vor Krancke und Sterbende*, u) his verbis: *Wie GOtt durch ſeine liebe Engel von dem, was in der Ewigkeit geſchiehet, die Menſchen auf Erden öfftèrs benachrichtiget: alſo iſt kein Zweiffel, daß eben durch dieſe die ſeelig Verſtorbene in der Ewigkeit benachrichtiget werden, von dem, was in dieſer Zeit im Reiche GOttes fürgehet. Daher iſt Freude vor den Engeln GOttes über einen Sünder, der Buſſe thut, Luc. XV. 10. So erfährt Abraham den Zuſtand des reichen Mannes durch Lazarum, ja der reiche Mann kan ſeine Brüder nicht vergeſſen, Luc. XVI, und ſo werden die ſeelig Verſtorbenen durch andere ſeelig Sterbende vom Reiche Gottes hier auf Erden immer mehrers unterrichtet &c.* Ego vero, ut omnem hanc cauſam curioſius, quam utilius, diſputari puto; ſic cum ipſo *Cel.* AVCTORIS APOLOGETA optarim: *Dieſer gantze Punct wäre aus dem Buche weggeblieben* x) Saltem ita tractari velim, ne quod inde periculum doctrinæ ſaniori confletur. De rebus enim ad ſalutem cognitu neceſſariis, hodie, nec per angelos, nec per mortuorum animas, inſtituendi ſumus. Imo, cum hoc ipſum dari ſibi ab Abrahamo cuperet Epulo, jam tum negabatur id ipſum, & remittebatur *ad Moſen, & Prophetas*, Luc. XVI, 29. Quod igitur jam tum fuit negatum, hodie expectandum non erit.

x) *pag.* 767. *n.* 12.
y) *videatur Unterricht c. Petræum p.* 35.

erit. Scio, quomodo verba ſua interpretari ſtudeat *Celeb.* AVCTOR. Dicit enim, *de temporibus veteris, & initiis novi fœderis*, accipienda eſſe. Vereor autem, ut color inductus ſufficiat, quo minus transpareat, de præſenti re quadam, & cujusmodi adhuc ſæpius occurrat hodie, ac detur, eundem locutum eſſe. Dicit enim: *GOtt benachrichtiget offters durch die lieben Engel die Menſchen &c.* quod ipſum cum interpretatione conciliari vix poterit. Quod ſi de rebus non ſalutaribus, ſed fata vel Eccleſiæ totius, vel ſingulorum, ſpectantibus intelligi verba velit, ne hoc quidem uſu & exemplis probare poterit, quod hodie *ſæpius* eveniant, quæ ſcribit. Nec eſt, quare quis ad hæc incruſtanda, vel LVTHERI, vel aliorum, loca, in quibus de miniſterio, alacritate, & vigilantia, nec non promptitudine angelorum, in factis & conſiliis, agitur, alleget. Aliud enim eſt, homines, inprimisque Magiſtratus, ac Principes, per angelos *interne moveri*, atque *inſpirando impelli, ac duci*, quod, citra externam apparitionem, & allocutionem, fieri poteſt; aliud, *iisdem hominibus per angelos ea, quæ in æternitate fiant, annuntiari*, quod citra externam apparitionem & allocutionem fieri non poteſt. *Prius* illud LVTHERVS, & alii, *largiuntur; Poſterius* e verbis eorum elici, ſi vel obiter inſpiciantur, *non poterit.* Neque etiam par eſt, angelos & animas ſeparatas, velut curſores quosdam publicos, aut ἱεϱοδρόμȣς concipere. Angeli enim boni ſunt πνεύματα quidem λειτȣργικὰ, quæ εἰς διακονίαν emittuntur: at non propter *jam beatos*, quibus nuntios afferre debeant; ſed NB. διὰ τȣ̀ς μέλλοντας κληϱονομεῖν σωτηρίαν. *Ebr. I. 14.* Cœlites autem per novos advenas, & quaſi ſupplementa cœleſtia, edoceri de iis, quæ fiant in regno gratiæ, facilius dicitur, quam probatur. *Quieſcunt ſuis a laboribus & curis*, Apoc. XIV, 3. verſantes

ſantes in *loco ſolatii & lætitiæ, Luc. XVI, 25. Matth. V, 4.* Vix igitur eo ex orbe, quem omnis miſeriæ ac peccati theatrum, & compendium, eſſe norunt, nuntios vel accipient, vel expectabunt. Abrahamum enim, de ſtatu Epulonis, & fratrum, a Lazaro edoctum eſſe, quod Avctor *Celeb.* affirmat, non legitur. Poterat ex illius ſupplicio, vel aliunde, cognoſcere. Non igitur opus eſt, ad illud ſententiæ præcipitium prolabi.

§. XXIII. Exceperis forſan, cum eodem illo Avctore: *Die Seelig Verſtorbenen ſind uns öffters, nach dem freyen Willen Gottes, näher, als wir faſſen und glauben können. Moſe und Elias waren den dreyen Jüngern auf dem Berg nahe, ob dieſe gleich geſchlaffen. Luc IX, 32. Man bedencke doch die Worte Ebr. XII, 23. hierzu kommt die offtmahlige ſehr liebliche Erfahrung, da man nicht nur im Traum, ſondern mit wachenden Augen öffters die Seinige, und die, mit welchen man vor dem HErrn in einem Geiſt beſonders verbunden geweſen, erblicket, vornehmlich in der letzten Todes-Stunde. Daß es ein Blindwerck vom Teufel ſeye oder zufällige Phantaſien, kann man nicht ſagen, auch nicht, daß GOtt einem nur ſo ein Traum-Bild mache: auch nicht, daß es gute Engel ſeyen in der Perſon der lieben Unſerigen, in dem kein Exempel in der Schrifft zufinden, daß die gute Engel jemahl eine fremde Perſon agirt haben.* Bene autem facit, quod appropinquationem cœlitum a libera Dei diſpenſatione ac voluntate derivat. Dubium enim non eſt, quin Deus animas ſeparatas ſemper, & ubique, præſentes ſiſtere poſſit, quando, & ubicunque velit, dum velit. Per hanc etiam Moſen & Eliam apparuiſſe ſuper monte, collocuturos cum Servatore noſtro, indubitato conſtat ex *Matth. XVII. 1. ſq.* Nec id ignorabat Petrus, cum diceret: Κύριε, εἰ θέλεις, Si vis, *faciamus tria tabernacula v. 5.* At hanc ipſam Dei voluntatem ad plures alios, & promiſcue, extendendam

dam eſſe, unde probabitur? Negat David de mortuo ſuo filiolo: *Ego ſum*, inquit, *abiturus ad ipſum, at ipſe non eſt reverſurus ad me, 2. Sam. XII, 23.* Provocat *celeb.* AVCTOR ad locum *Ebr. XII. 23.* At, in eo, non, quod *Spiritus* perfecti *ad nos accedere* ſoleant, quo de tamen nunc quæritur, ſed, quod *nos ad multitudinem* ſpirituum perfectorum *acceſſerimus*, docetur. Acceſſimus autem in eccleſia militante ad triumfantem, non per unitatem *ſtatus*, qui eſt diverſiſſimus, ſed unitatem finis, ſcopi & *brabei*, quod unum idemque obtinendum eſt a militante, ut jam obtentum fuit a triumfante. Noſtrum enim πολίτευμα eſt in cœlis, *Phil. III. 23.* Jamque peregrinamur a Domino *2. Cor. V, 6.* nedum a cœlitibus. Nondum igitur conſtat, velle Deum, ut cœlites ad nos redeant, nobisque propiores fiant. Cauſas ATHANASIVS, vel quisquis auctor eſt, adducit ad Quæſt. num. XXXV. *quare Deus non permiſerit, ut animæ defunctorum ad nos redeant, & enarrent, quomodo ſe res habeat apud inferos?* Reſpondet enim: Πολλὴ ἐντεῦθεν πλάνη ἐν τῷ βίῳ τίκτεσθαι ἔμελλεν, *quia dæmones poſſent* mortuorum formas *aſſumere, ſeque ex mortuis excitatos mentiri, atque inde* πολλὰ ψεύδη πράγματα ϗ δόγματα, de iis, quæ ibi fiunt, ſpargere, πρὸς τὴν ἡμῶν πλάνην, ϗ ἀπώλειαν. CHRYSOSTOMVS autem z) *negat, quæri oportere a mortuis, quæ doceamur in Scripturis. Deum, ſi noviſſet mortuorum apparitiones nobis profuturas, eas nobis non fuiſſe negaturum:* Deum non permittentem, ut quisquam ex inferis ad nos redeat, docere nos voluiſſe, Scripturæ potius, quam aliis, credendum eſſe.

§. XXIV. Interim *Celeberrimus* AVCTOR recipit ſe ad *experientiam*, & uſum, juxta quem beati nobis nunc vigilanti-

D bus,

z) in *Homil. IV, de Div. & Laz. p. 77.*

bus, nunc ſomniantibus, appareant, maxime in articulo mortis. Mallem vero hac aſſertione abſtinuiſſet *Cel.* Avctor, profeſſione Lutheranus. Fieri enim vix poteſt, quin anſam inde adverſarii ſumant, nos varie criminandi, ac ſi vel purgatorio, vel invocationi ſanctorum, faveamus, ac ſenſim paulatimque ad Papatum redire incipiamus, quod ipſum ut *Petræus* rectiſſime monuit; ſic eveniſſe *Celeberr.* Avctor diffiteri non poteſt. a) Ipſa quoque opinio fraudi eſſe poterit meritis & officio Chriſti παρακλήτου, quæ nulli non moribundo ſufficere debent. Mortuos autem moribundis adeſſe, ac ſolatium afferre, ubi quæſo legitur in Scripturis? Poſt mortem animam Lazari deportatam fuiſſe ab angelis in ſinum Abrahæ, legitur; Abrahamum ipſum affuiſſe, ac humeros velut ſuppoſuiſſe, non legitur. Svavia hæc ſunt ſomnia, nec tamen, procul omni doctrinæ periculo, jactanda. Probo cautelas ab *Apologeta* propoſitas, b) at doleo, non ſemper fuiſſe obſervatas. Fruſtra fuerit, qui ab hac perſvaſione in articulo mortis vel tantillum ſibi ſolatii promittat. Quodvis enim ſolatium fundamentis certis, immotis, & indubitatis inniti debet, cujusmodi hic deſidero. Equidem allegantur eorum, qui poſt mortem etiam vigilantibus, & pulchre ſobriis, apparuerint, exempla. Quid autem, ſi hæc omnia mera fuerint ludibria Satanæ, qui mendax eſt, &, ut Proteus aliquis, in omnes ſeſe formas mutare poteſt? Hic enim ſuam ſubinde πανουργίαν exercet πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. *Eph. IV, 14.* Audiant, quid hic Avgvstinvs Donatiſtis reſponderit: Cum enim hi dicerent: *Hoc verum eſt, quia ille Pater noſter,*

a) *vid. Sendſchreiben p.* 12. *m. & p.* 21. *lin.* 8.
b) *im Unterr. c. Petræum. p.* 43.

ſter, aut illa Soror noſtra, tale viſum NB. *vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniavit*: reſpondebat ille: *Removeantur illa vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum.* Atque hoc ne gentilibus quidem olim ignoratum fuiſſe videtur, quorum e numero JAMBLICHVS refert, eſſe genus quoddam dæmonum, *naturæ deceptorium, multiforme, quodque ſpecies Deorum, & geniorum, & animarum poſt mortem mentiatur.* c) Adjicit huic calculum AVGVSTINVS, d) & ex Porphyrii ad Anebuntem Ægyptium epiſtola, docet, *mortuorum animas non redire, Spiritus autem eſſe impuros, qui appareant ſub ſpecie mortuorum.* Quod ipſum pluribus perſequitur, tandemque ex verbis Porphyrii concludit: *Spiritus non tam natura,* (quod ille poſuerat) *ſed vitio fallaces, ſimulare Deos, & animas defunctorum: Dæmones autem non* (ut ille dixerat) *ſe ſimulare, ſed plane eſſe.* Adſtipulatur cœleſti ore ſuo JOHANNES CPTANVS: e) *Non anima*, inquit, *defuncti eſt, quæ iſta dicit* (nempe, anima talis ego ſum;) *ſed dæmon, qui hæc, ut audientes decipiat, effingit.* Et poſt interjecta nonnulla: *Multis e locis Scripturæ probari poteſt, non errare hic poſt mortem NB. juſtorum hominum animas. Nam & Stephanus ait?* Suſcipe Spiritum meum. - - - *Quod vero nec peccatorum animæ hic commorari poſſint, divitem audias, quid dicat, perpendasque, quid petit, & non impetrat. Quodſi poſſent animæ hominum hic converſari, veniſſet ipſe, ut cupiebat, & ſuos de tormentis inferni feciſſet certiores &c.* Spiritus ergo impuri ſunt, qui ſub ſpecie mortuorum apparent, quorumque adeo apparitiones pro

 in-

c) *de Myſter. Ægypt. Sect. III. c.* 31.
d) *de Civ. Dei L. X. c. II.*
e) Homil. XXIX. in cap. VIII. Matth. T. I. ed. Francof. f. 334. ſq.

infortunio potius, quam ſolatio, habere debemus g) id quod hiſtoria de apparitione jactata mortui Samuëlis *1. Sam. XXVIII.* abunde probat. Unde hujusmodi apparitiones Lvthervs Noſter *exercitium malitiæ Cacodæmonum* veriſſime nominat. h)

§. XXV. Urgebitur forte locus *1. Pet. V, 9.* nam & hunc opinioni ſuæ favere *Celeb.* Avctor, p. 767. n. 10. arbitratur. Quid autem ſi ἀδελφότητα τὴν ἐν κόσμῳ, non tam διακριτικῶς quam ἐξηγητικῶς dictam eſſe putemus? Et ſi maxime ἀδελφότητα quandam ἐν οὐρανοῖς ſtatuamus, quod quidem ſalva fidei analogia fieri poſſe non diffitemur, minime propterea ſequitur, inter utramque fraternitatem, τὴν ἐν κόσμῳ, & τὴν ἐν οὐρανοῖς, h. e. eccleſiam *militantem*, & *triumfantem*, tam arctum, perpetuumque, commercium intercedere, ut beati cœlites viventibus in terra ſæpius opinione ſua ſint propiores.

§. XXVI. Tertio nonnulli *animas quidem a morte ſupereſſe, vivere quoque, intelligere, ac operari, concedunt, ad plenam tamen, perfectamque felicitatem, ipſamque adeo beatificam Dei viſionem, ante extremum judicium admitti, negant.* Non pauci enim, ut Vasqvetzivs eorum ſententiam exprimit, nec infimi nominis auctores, in ea fuerunt ſententia, ut aſſererent, *Sanctorum defunctorum animas, quæ ex hac vita diſceſſerunt, non ſtatim in beatitudinem recipi, ſed usque ad diem judicii in quibusdam locis reſervari, ut interim* nec

g) vid. JO. GEORG. DORSCHÆI *Singul. Angel.* Diſſ. VI. p. 419. ſq. JO. MEISNERVS de apparit. dæmonum: ITTIGIVS *de Purgator. Fanat.* §. *XXXI. ſq.* inprimisque SCHELGVIGIVS de apparitionibus mortuorum, vivis ex pacto factis. §. XLI. itemque GISB. VOETIVS diſp. de nat. & operat. Dæm. T. I. Diſp. Select. p. 906. ſq.

h) In *Artic. Smalcald. P. II. art. 2. p. n.* 485. Conf. omnino JO. RIVIVS in *L. de ſuperſt.* & ſpectris.

nec Deum videant, nec beatæ *ſint*, ut VASQVETZIVS i) loquitur. Ingentem horum numerum BELLARMINVS k) SIXTVS SENENSIS l) ALPHONSVS A CASTRO m) MELCHIOR CANVS n) JVSTINIANVS o) STAPLETONVS p) M. ANT. DE DOMINIS, aliique, & in his JACOBVM Apoſtolum, (hunc enim illi Liturgiæ, quæ ſub Jacobi nomine circumfertur, auctorem credunt,) IRENAEVM, JVSTINVM M., TERTVLLIANVM, ORIGENEM, LACTANTIVM, VICTORINVM MARTYREM, PRVDENTIVM, AMBROSIVM, CHRYSOSTOMVM, AVGVSTINVM, THEODORITVM, OECVMENIVM, THEOPHYLACTVM, EVTHYMIVM, & PATRVM omnium ſignaculum, BERNHARDVM *Clarevallenſem*, allegant. Hos inter JVSTINVM, & IRENAEVM, BELLARMINVS q) erroris hujus abſolvere ſtudet. At PETAVIVS r) hoc procul difficultate fieri poſſe, negat. SENENSIS *Bernhardum* conquiſitis rationibus excuſare conatur. s) Verum, ut veteres illi in modis loquendi nonnihil diſſentiant, & aliquando animas, ad diem usque extremi judicii, quieſcere doceant, quandoque vero receptacula, neſcio quæ, animarum commemorent, in quibus hæ nec facientes, nec patientes quicquam, verſentur, omnes tamen una mente animas a conſpectu Dei, ante reſurrectionem, excludere videntur. Sigillatim t) TERTVLLIANVS, Pa-

i) *Comment. in Primam Secundæ D. Thomæ Diſp. XIX. c. I. n. I. p.* 123.
k) *L. I. de beat. Sanct. c. I.*
l) *L. VI. Bibl. annot. antepenult.* m) *L. III. adv. hæreſ.*
n) *L. VII. Loc. c.* 3. o) *In Cap. I. Ep. ad Philippenſ.*
p) *L. I. de Auctorit. Scr. S adv. Wittaek.* q) *l. cit.*
r) *T. I. Dogm. Theol. L. VII. c.* 14. *f.* s) *L. c.*
t) vid JO. MEISNERVS in Diſp. I. de *ſtatu animarum ſep.* §. & imprimis B. ITTIGIVS in erud. diſſert. de *novis fanat. purgatoriis.* §. XXI. ſq.

trum latinorum princeps, & omnium in occidente Magiſter, animas ſeparatas penes *inferos eſſe, puniri & foveri in infernis, interim ſub expectatione utriusque judicii*, ſimpliciter ſcribit. u)

§. XXVII. Cauſas erroris laudatus modo Meisnervs erudite deducit. *Primo* enim plerique, inter Christianos, literatos ſaltem, antequam Doctrinam de Chriſto amplecterentur, Platoni & Aristoteli, & ceteris ex iisdem ſectis Doctoribus, ſe addixerant, quod quidem de Irenaeo, Athenagora, Jvstino, Tertvlliano, Lactantio, Avgvstino, & pluribus, cum ipſi ſubinde fateantur, non eſt, quod data opera oſtendatur. Atqui Plato rerum omnium notitiam homini putabat innaſci, deliteſcere, & quaſi oblivione ſopiri, cum primum edimur in lucem, ſucceſſu vero temporis paulatim ſe exerere, & ex profundo quaſi ſomno expergiſci, unde adeo, quicquid diſcamus, non tam primum imbibere, quam *recordari*, videamur, quod ex Platonis Phaedone, Menone, *X. de rep.* & aliis ejus ſcriptis, juxta & interpretibus, facile conſtat. Sicut autem hunc Præceptoris ſui errorem Aristoteles recte confutavit, ſic in contrarium, ut fieri ſolet, prolapſus eſt, ſic, ut crederet, intellectum hominis, ubi primum naſcatur, *raſæ tabulæ* eſſe ſimilem, cui quodvis inſcribi poſſit, utut nihil inſcriptum ſit. Sicut autem ſe habuerit anima hominis, cum primum oriatur, ſic eandem ſe habere, ubi a corpore fuerit ſeparata, adeoque animam a corpore ſolutam nihil intelligere, appetere, vel operari. His præceptionibus veteres imbuti, etiam cum ad Chriſtianam religionem tranſirent, non poterant veritatibus huju

it

u) L. de Anima ſub fin.

ita ſubſcribere, quin ad Philoſophos, quibus antea operam dederant, ſubinde reſpicerent, horumque adeo placitis dogmata Chriſtana reſpergerent, ac condirent. Quod equidem minime probat TERTVLLIANVS x) cum ait: *Quid Athenis, inquit, & Hieroſolymis? Quid Academiæ & Eccleſiæ? noſtra inſtitutio de porticu Salomonis, qui & ipſe tradiderat, Dominum in ſimplicitate quærendum. Viderint, qui* STOICVM *&* PLATONICVM, *&* DIALECTICVM CHRISTIANISMVM *protulerint.* Interim pluribus placuiſſe, negari non poteſt, & uſus probat, eadem ex cauſa, ſi non plerosque, certe multos, de ſtatu animarum poſt mortem errores emerſiſſe.

§. XXVIII. *Altera* cauſa fuit, quod multi Patrum *Millenariorum* opinionem amplexi ſunt, ſtatuentes, juſtos poſt reſurrectionem mortuorum, non ſtatim a diſceſſu ſuo e corporibus divino conſpectu frui, ſed interim, usque ad reſurrectionis tempus, certo loco detineri, ubi per mille annos, in ſumma quiete, rerumque omnium affluentia, ſub imperio Chriſti, ſint gaviſuri, *aſveſcentes capere gloriam DEI Patris*, ut IRENAEVS y) loquitur, donec ad plenum cœleſtis felicitatis uſum transferantur. Queis admiſſis & poſitis, facile ſequitur, non poſſe de iis plenariam fruitionem cœleſtis gaudii, ſtatim ab exceſſu prædicari. z)

§. XXIX. Denique videntur Patres hinc duas beatorum *claſſes*, hinc duos beatitudinis *ſtatus*, agnoviſſe. Unum nempe, quod SIXTVS SENENSIS a) non male tradit, *animæ ſine corpore, usque ad univerſale judicium, quem veteres, variis nominibus deſcribentes, appellarunt ſinum Abrahæ, Paradiſum pri-*

x) *L. de Præſcr. adv. hæreſ. c. 7. f. 205. ed. Rigalt.*
y) *L. V. adv. hær. c. 35.*
z) Vid. omnino PETAVIUS *T. I. de dogm. Theol. L. VII. cap. XIV. n. 2. 3. 4 f. 509. ſq. ed. Pariſ.*
a) *Bibl. L. VI. annot. CCCXLV. t. n.*

primis parentibus ademptum, altare exterius, ſubaltare DEI, ſanctorum veſtibulum, Atria DEI, promptuaria animarum, abdita receptacula, animarum cuſtodiam, ſecuritatis requiem, arrhabonum regnum, ſtolam albam, adeptas promiſſiones, & alia hujusmodi. Alterum vero eſſe ſtatum animæ reſumpto corpore poſt judicium, quem dicunt domum DEI, altare interius, ſuperaltare, ſublimiora cœlorum, conſummationem gloriæ, bonorum omnium terminum, integra meritorum præmia, coronarum tempus, fruitionis regnum: Irenaevs b) priorem vocat *inviſibilem locum definitum animabus a Deo, in quo usque ad reſurrectionem commorentur:* Avgvstinvs *ſecretum Patris, quo poſt paſſionem reſurgens aſſumptus ſit Dominus:* c) alio loco *abdita animarum receptacula, nominat.* d) Hinc Ambrosivs inter *incolatum* paradiſi, & *regnum* paradiſi, e) Chrysostomvs inter *regnum paradiſi* & *regnum cœlorum*: f) Theophylactvs inter *promiſſionem* & plenam promiſſionis *acceptionem*: Avgvstinvs denique inter *paradiſum*, & *cœlum* ipſum, g) diſtingvit, dubius, an paradiſum in cœlum tertium, an ſupra illud, collocare debeat. Ut adeo Veteres, non tam de animarum *gloria* ante judicium, quam de *Loco* & *gradibus* ac confirmatione gloriæ, diſputaſſe videantur. Quod etiam Lvdov. Vives ad locum Avgvstini, h) quo animas poſt exceſſum ſuum in *ſecretis receptaculis* quieſcere affirmat, annotavit, addita ratione: *Ubique beatas eſſe poſſe, cum ubique ſit Deus, cujus fruitione ſint beatæ.*

§. XXX.

b) *L. V. de hæreſ. c. XXVI. ed. Gelaſ. ſub fin.*
c) *In quæſt. Evangel. L. II. T. III. OO.* 353. *edit. Froben.*
d) *In Enchiridio ad Laurentium c. CIX.*
e) Obſerv. II. in Micham Prophetam, allegante Petavio *T. I. f.* 510.
f) *ap. Petav. l. c.*
g) *L. XII. de geneſi ad lit.*
h) *L. XII. de Civ. Dei c. 9.*

§. XXX. Quicquid hujus ſit, ALPHONSVS de CASTRO hanc opinionem, quod ſcil. animæ ſeparatæ ad viſionem Dei ante diem extremum non admittantur, & *hæreſin*, & *errorem peſtiferum*, vocat, atque ab *Armenis*, *Græcisque*, foveri ſcribit. Quæ forte cauſa eſt, quod SIXTVS SENENSIS l. c. ſigillatim *Armenorum errorem* nominat. Sed enim, quod h. l. præteriri non debet, etiam a JOANNE XXII. P. R. *miſere hic deſipiente*, ut PAVLVS LANGIVS i) loquitur, hic error conceptus eſt, ſiquidem non ſolum ipſe negavit, *animas purgatas ante judicium habere ſtolam, quæ eſt clara & facilis Dei viſio*, ſed & Pariſienſem Univerſitatem ad hoc induxit, *ut nulli gradum Theologiæ conferret, niſi hunc errorem ſe defenſurum juraſſet.* k) Quod ut ipſi Scriptores Pontificii magno numero, & in his P. LANGIVS, l) teſtantur; ſic irrefragabile teſtimonium eſt, Papas Romanos fieri poſſe hæreticos, nec eſſe infallibiles. Damnatus enim error eſt *Decretalibus Epiſtolis* Romanorum Pontificum, *Innocentii III.* qui ſedit ſub initium Seculi XIII. & *Benedicti XI.* qui ſub initium Seculi XIV. m) judice modo citato LANGIO, *ſanctimonia vitæ, & animi prudentia, revera nobiliter fulſit*, &, *magna demum conquiſitione facta*, ut STAPLETONVS n) ait, *in Concilio Florentino*, (*CXLI. Epiſcoporum ſub Eugenio IV. P. R. Ao. 1438. & 1439.*) hæc ſententia definita eſt: *illorum etiam animas, qui, poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, ſint purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipſum DEUM, trinum, & unum, ſicuti eſt; meritorum tamen diverſitate alium*

i) in CHR. CIZIZENSI *f.* 832. *ed. Piſtor.*
k) Vid. SIXTVS SENENSIS *l. c.*
l) In CHR. CIZIZENSI *f.* 831. *ed. Piſtor.*
m) *l. c. f.* 821.
n) *L. I. de anal. Scr. S. c. Wittack, c.* 2.

alio perfectius; Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali, decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. o)

§. XXXI. Atque hæc quidem ſententia fere huc dum in Eccleſia Latina, & Occidentali, duravit, ne ab LVTHERO quidem, alioqui ad priſtinam integritatem omnia revocante, (ſi ea, quæ ad purgationem poſt mortem ſpectant, exceperis, quod ſupra §. XVI. docuimus,) improbanda. CALVINVS tamen, qui antea ſe *Pſychopannichitis* fortiter oppoſuerat, eundem hunc errorem recoxiſſe videtur. Scribit enim: *Cum Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Chriſti, & gloriæ coronam eo usque differat, contenti ſimus his finibus divinitus nobis præſcriptis, animas militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem gloriæ expectant, atque ita omnia teneri ſuſpenſa, donec Chriſtus appareat redemptor.* p)

§. XXXII. Parum ab hoc diſſentire videtur magni Nominis Theologus in epiſtola, quam fidei faciendæ, hujusque argumenti, gratia, quod alias edi eam non memini, totam ſubjicio. * Improbat enim, erroribusque popularibus

o) vid. CORIOL. in *Summa Conc. f.* 885.
p) Inſtit. *L. III. c.* 25. *p. m.* 353.

** Leben und volles Genügen! Amen!*

Hochwürdiger etc.

Inſonders Hochgeehrter, und, in JEſu unſerm König, Hertzgeliebter Herr,

Dero Hand-Briefflein hatte ſo liebreich nicht verdienet, ſondern, weil auch einige zeilen von Hr. D. Lüders, und Hr. D. Neuß, nicht zwar an mich, doch von meiner Perſon, umb der treuhertzigen Erinnerung willen, zu Geſichte kommen, die dieſer dem Straucheln und Fall ſehr nahe Tritte und kein rechtes Weſen in CHriſto anzeigten, ſo ſorgte deſto mehr, meine annoch darzukommende wichtige Epiſtel, die freylich bey Verſtockten nichts als Verbitterung, iedoch auch ihnen ſelbſt eine nothwendige Frucht der Vberzeugung, wircket, würde etwa hart geſtraffet und mein, ja GOttes, gutes Abſehen nicht erkandt, und alles von mir; wo, man

pularibus, annumerat illam perſvaſionem, *daß wir von Mund auf gen Himmel fahren wollen, zum Beſitz der Vollkommenheit und Herrligkeit, da wir doch, nach anleitender Ordnung der Schrifft, erſt aus dem ſtatu mortis aufferſtehen, und vor Gerichte, (darin man noch Fürbitte ponderiret) erſcheinen müſſen.*

---

man ſich von Freunden, die in Anfechtung gefallen, einnehmen laſſen ſolte, verſchmähet und vernichtet werden. Allein GOttes, über Dero Ihm gefällige Friedliebenheit waltende, Vater-Treue hat es ſo gemittelt, und Dero Hertz diſponiret, durch Dero Verweiß nicht etwa betrübet, ſondern durch Dero nur allzurühmliche Behutſamkeit gleichfalls in Schrancken der Demuth und Niederwerffigkeit bey meinen ſo ſchweren eigenen Zuſtand, wie auch bißherigen Fällen, und davon geſtellten judicio erhalten zu werden, damit nicht in unbegreifflichen Gerichten und unerforſchlichen Wegen GOttes mich verſteige, wo ſie GOtt nicht ſelber offenbahret und vor Augen leget. Zu GOtt ſage ich mit Aſſaph: Siehe, die von Dir weichen, werden umbkommen; Du bringeſt umb alle, die wieder Dich huren. Aber das iſt unter andern meine Freude, daß ich verkündige alle Dein Thun. Noch bis dato hat man am allermeiſten mich darüber faſt vor einen Papiſten halten wollen, weil das Gebeth vor verſtorbne Feinde kräfftig halte. Welches daher rühret, daſs vom Zuſtand der Seelen nach dem erſten Tode eine faſt durchgehends graſſirende Vnwiſſenheit, oder vielmehr affectirte irrige Meynung, die Augen blendet, daſs nichts gemeiners iſt, als von Mund auff gen Himmel fahren wollen, zum Beſitz der Vollkommenheit und Herrligkeit, da wir doch, nach anleitender Ordnung der Schrifft, erſt aus dem ſtatu mortis aufferſtehen, und vor Gerichte (darinnen man auch Fürbitten ponderiret) erſcheinen müſſen. *Drumb wie dero Gebethes-Krafft ich in der That erfahren, und umb gewiſſer Vrſache willen Sorge getragen,* Dero Geſchrey zu GOtt mache D. Car. einen ſchweren Standt, *ſo bin nun auch in gewiſſer Zuverſicht, Dero Vermögen zu beten, ſo das meinige weit übertrifft, werde mit der Zeit Wunder erweiſen. Aller meiner Feinde Fluch iſt eitel Seegen, wenn Sie fortfahren, auch für mich Sünder Fürbitte bey GOtt einzulegen, welches ſo ihm, als allen meinen übrigen Wiederſachern und Läſtrern, die noch leben, oder bereits geſtorben ſind, von Grund meiner Seelen vergeben habe und täglich vergebe. Dahero von GOtt inniglich bitte, als viel ſeiner Gerechtigkeit unverletzt geſchehen kan, daß niemand einiges wieder mich begangenen* ewig Straffe leyden, *oder dieſe dadurch vermehret werden möge. Im übrigen, wie ich von der aus H. Schrifft erlerneten Hoffnung künfftiger beſſerer Zeiten nicht abweiche, ſondern Dero Gedächtniß mir auch eine Freude iſt, ſo kan ich doch dieſelbe ſo nahe zu ſeyn nicht glauben, als mein werther*

§. XXXIII. Nos autem beatorum animas, etiam ante diem extremi judicii, & procul purgatione, cujus alioqui neceſſitatem Pontificii Florentiæ *Canone* I. præſtruebant, ad plenæ, perfectæque, felicitatis uſum pervenire putamus. Deus enim hac maxime de cauſa ſe nominat Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, utut mortuorum, quod ſe iis, etiam poſt mortem, beate videndum, fruendumque, præbuerat. *Matth. XXII, 25.* Idemque perſpicue docet Liberator noſter, latronem de Cruce pendentem, atque, *ut ſui meminiſſe vellet, cum veniret in regnum ſuum*, orantem, his verbis erigens: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Luc. XXIII, 43. Neque enim latro petitioni ſuæ tum ſatis fieri voluit, quum Chriſtus ad judicium in gloria venturus erat, ut *Sociniſtæ* interpretantur, quod Rex non *in regno*

Herr uns die Hoffnung davon machen will: Ob ich wohl es, nach ſeinem Gedancken zu gehen, hertzlich wünſchen möchte. Aber ich kan Babel nicht anders anſehen, als in ſeinem ſtarcken Wachsthum, und daſs es noch erſt ſeinen höchſten Gipffel beſteigen, und unſere Kirche meiſtens unterdrücken werde. Ehe dieſes geſchiehet, ſehe nicht, wie jenes fallen kan: Vor deſſen Fall aber werden wir wohl keine, nur etwas beſtändige, Beſſerung ſehen. Dahero mir auch die Gedancken nicht mache, dasjenige zu erleben, womit ich Chriſtliche Mitt-Brüder tröſte. Denn ob es wohl ſo gar weit nicht entfernet ſeyn mag, wird ſichs doch weiter hinaus ſtrecken, als der mir beſtimmten Jahre ſich erſtrecken mag. Indeſſen freue mich nichts deſto weniger, weil ich gleichwohl ein Mit-Bruder derjenigen bin, die noch hier in dieſer Zeit, wenn wir bereits in die Ewigkeit übergegangen, mit der Erfüllung der Verheiſſungen, die wir hier bekennet haben, auch darüber geſchmähet worden ſind, beſeliget werden ſollen. Welches die Krafft der Liebe, mit dero der HErr alle ſeine Kinder unter einander verbunden hat. Hiermit der treuen Obhut und Regierung GOttes hertzlich empfehlend verbleibe

Meines Hochgel. Herrn und geehrt. Freundes

B. *zu Gebeth und Liebe williger*

den 28. Junii 1699. N.

gno ſuo, verum *in regnum*, venire dicitur; ſed potius latro, quam primum, & procul interpoſita mora, ſalvari cupiebat, quod ipſum ei prompte pollicebatur Servator, dicens: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

§. XXXIV. Quoniam vero Veteres, inter *Paradiſum*, & *Cœlum* ipſum, diſtinxiſſe, ſupra monuimus, facere hoc loco non poſſum, quin addam, *Auctorem Obſervationis quartæ T. VIII. Obſ. Hal.* ſtatuere, *quod Paradiſus ſignificet lætum ſtatum animarum poſt mortem, a cælo tamen beatorum diſtinctum. Eum vero eſſe infernum, ſeu ſtatum quietis & refrigerii. Infernum enim eſſe duplicem, alterum quietis, in quem animæ juſtorum deferantur, alterum cruciatuum, in quem impiorum animæ migrent. Priorem eſſe illum, quem Chriſtus cum latrone per triduum mortis occuparit, quemque Patriarchæ & Sancti V. T. usque ad reſurrectionem Chriſti tenuerint etc.* Mira profecto ſententia, & Halenſibus digna, quæ horribili quadam metamorphoſi paradiſum in infernum transmutat, & *infernum*, quendam *quietis, ſedemque felicitatis*, ſtatuit, quæ quidem quo pacto ſecum conciliari poſſint, non video. Interim *vetus* eſt opinio, utut forſan *nova* Obſervatori ſit viſa. Annotante quippe Cel. JO. CHRIST. WOLFIO, Theologo, ac Polyhiſtore Hamburgenſi, jam a *Gratio in Appendice apologetica, pro Urbano Regio, hujus formulis caute loquendi ſubjecta*, pridem allata eſt. Unde & illius confutandæ opera poſſumus ſuperſedere, quod & hæc a BALTH. HENR. de PLATEN, peculiari, quae extat, diſſertatione q) eſt occupata, & recocta inſuper opinio ſua ſe levitate, ne dicam abſurditate, deſtruit. r)

q) habita Greyphswaldiæ ſub præſ. D. JO. FR. MAYERI.
r) Conf. Cel. WOLFII Curæ Philol, & Crit, ad *Luc. XXIII. pag. 767.*

§. XXXV. Quod ad rem ipſam attinet, Servator noſter non modo latronis animam e veſtigio in paradiſum ſe recepturum promiſit, ſed etiam Lazari animam ſtatim a morte in ſinum Abrahæ deportatam fuiſſe, commemorat. *Luc. XVI, 29.* Etiamſi vero per parabolam id dictum, nec omnia in eadem ad vivum reſecanda eſſe, facile largiamur; ſufficit tamen, eodem in loco Chriſtum de ſtatu animarum ſeparatarum, ex inſtituto, & opera data, exponere voluiſſe, ex eoque adeo argumenta ſat valida peti poſſe. Hinc & Stephanum, qui martyrum ſub novo fœdere ordinem dedicavit, jamjam moriturum in Domini ſui manus ſpiritum ſuum commendaſſe, legimus. *Act. VII, 59.*

§. XXXVI. Nec eſt, quod quis illud felicitatis Latroni, Lazaro, Stephano, forſan per gratiam ſpecialem, & extra ordinem, eveniſſe exiſtimet. Opponimus enim, urgemusque, locum *Apoc. XIV, 13. Beati, qui moriuntur in Domino ἀπάρτι: Etiam ſpiritus dicit, quod quieſcant a laboribus ſuis, ſed opera comitantur eos.* Nec enim 1.) per *morientes in Domino*, quod nonnullis perſvaſum eſſe video, ſoli martyres, ſed hi omnes intelligendi ſunt, qui fidem & bonam conſcientiam retinent, inſitique Chriſto in confeſſione fidei usque ad finem vitæ perdurant, utut de cetero non ſupplicium ſubeant, ſed naturæ debitum reddant. Iubetur enim Joannes *ſcribere*, h. e. literarum monimentis ad omnem Chriſtianorum poſteritatem transferre, quod audierat, ſententiam nempe ſolatii plenam, & cunctis ætatibus neceſſariam, ac omnibus denique moribundis in Domino profuturam. Idque 2.) vel ipſa morientium conditio arguit. Moriuntur enim ἐν Κυρίῳ. Jam cum, qui *vivunt* in Domino, ſalvi ſint, utut in *ſpe*: quis neget, *morientes in Domino* ſalvos fieri, etiam RE? *Rom. VIII, 24. Nam ſive vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino*

mori-

morimur. Sive igitur vivamus, ſive moriamur, Domini ſumus. c. XIV, 8. Bene LVTHERVS: *Wer in dem HErrn ſtirbt, der muß gerecht, und ſeelig ſeyn; wenns gleich nicht hier in Apocalypſi ſtünde, oder GOtt müſte ſelbſt lügen. Und wenn der Troſt, und Glaube ſolte nichts ſeyn, daß der ſeelig ſey, der in Chriſto ſtirbt, was iſt denn unſer Chriſten-Glaube, ſo wolt ich eben ſo mehr ein Türck, Jüde, und Heyde ſeyn: was hülffen mich ſo tröſtliche Verheiſſungen GOttes, daß, wer an Chriſtum gläubt, ſolle nicht gericht werden,* Jo. III. *ſondern gerecht, ſeelig, heilig ſeyn, Vergebung der Sünden, und ewiges Leben haben.* s) Etiamſi vero 3.) voculam ἀπάρτι quidam ad *morientes* referant, hoc ſenſu, beati, qui *ab hoc tempore* pro veritate occumbunt; rectius tamen τὸ ἀπάρτι cum *Beatis* connectitur, ut innuatur, ſtatim, & *procul intervallo*, a morte ad Vitam tranſire, perinde ut latroni propoſita felicitas eodem die initium ſumpſit, quo Chriſtus promiſit. Neque vero non hæc ipſa interpretatio 4.) ſcopo ſcribentis Apoſtoli reſpondet. Vult enim ſpiritus attrahere certantes, hac promiſſione, quod ceſſaturi ſint labores, & ventura bona, in quibus conquieſcant. *Simul enim, ut ſublati fuerint e medio labores, inducetur operum retributio,* ut ARETAS loquitur ad h. l. Neque vero vult ſolum attrahere certantes, ſed & 5.) erigere labantes, ac recreare feſſos, ſolari miſeros. Fortius autem propinare ſolatium non poterat, quam ſcribendo, promittendoque: *finem miſeriarum, felicitatis initium fore.* Idque 6.) verba, quæ ſequuntur, confirmant. Dicuntur enim *quieſcere a laboribus.* Atqui laborem, natura ſua, & *procul intervallo*, ſequitur præmium, ac merces. Denique 7.) opera, operumque fructus, eosdem *comitari* dicuntur, ἀκολουθεῖν μετ᾽ αὐτῶν. Quo

s) Vid. *T. V. Jen. Germ. f.* 265.

Quo pacto operantes, operumque fructus, divelli a ſe non poſſunt. Qui enim alterum *comitatur*, is non e longinquo ſequitur, ſed vel latus claudit, vel proxime adeſt. Ergo promiſſi operum fructus, qui comitari morientes in Domino dicuntur, procul intervallo, & mora, eosdem excipiunt ac beant. 8) Quid multa? Μακάριοι dicuntur: Ergo vel *ſperant μακαριότητα*, vel ſperatam obtinuerunt & *habent*. Atqui non *ſperant*, quod ſalus *in ſpe* non *mortuorum* eſt, ſed *viventium;* Ergo jam ab ipſo mortis momento habent, non autem in ultimo demum die impertiendam expectant, recteque adeo dicitur: *Seelig verſtorbene fahren von Munde auf gen Himmel*, quod contra Papiſtas, horumque aſſeclas, eviciſſe ſufficiat.

§. XXXVII. Addimus tamen illuſtrem, prorſusque ad rem accommodatum, locum Apoſtoli, ex *2. Cor. V, 6. ſq. Scimus*, inquit, *quoniam cum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino: Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Studemus autem, & bonam voluntatem habemus, peregrinari magis a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Quibus in verbis Deum διὰ εἴδους videre, Apoſtolo eſt, Deum, *ut in ſe eſt*, videre, & coram intueri. Videre autem per ſpeculum, & in fide ambulare, eſt e longinquo, & velut *per tranſennam*, ſeu in verbo, cognoſcere. Quando igitur optat Apoſtolus, ut *in fide ambulare*, & *peregrinari a Corpore* deſinat, ne *peregre abeſſe a Domino* cogatur, oſtendit ſimul, eſſe aliquem animæ ſtatum, quo anima peregrinetur *a corpore*, nec tamen *a Domino.* Talis autem ſtatus revera non dabitur, niſi concedatur, Deum mox a morte videri. In hac enim vita peregrinamur *a Domino*, non *a corpore:* Poſt reſuſcitationem vero *nec a Domino*, nec *a corpore* peregre abſumus. Unde ſequitur, poſt mortem nos quidem peregre abeſſe *a corpore*, non tamen *a*

Domino

Domino, ſed hunc potius διὰ εἴδους videre. Animæ igitur piorum ſimulac e corporibus exceſſerunt, recta in arcem æternæ felicitatis contendunt.

§. XXXVIII. Non diſſimilis eſt locus, qui extat *Ebr. XII, 23. Acceſſiſtis ad Sion montem, & ad civitatem Dei viventis, Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam, & eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium, Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum.* In quo cumprimis eſt obſervandum, hic de Spiritibus, ante univerſalem mortuorum reſurrectionem, ibi exiſtentibus, ſermonem eſſe, & ſtatum animarum ſeparatarum deſcribi. Tum vero eosdem ſpiritus dici τετελειωμένους, per quos equidem, WITTICHIVS notari putat t) *Spiritus fidelium V. T. qui in cœlis ſint conſummati*, h. e., ut alibi u) explicat, *ad inſpectionem omnium myſteriorum N. T. ſeu cognitionem omnium, & ſingulorum, quæ circa Chriſtum, & per Chriſtum facta ſunt*, admiſſi, cum in terris fuerint ſervituti ſubjecti. Interim, uti WITTICHIVS ipſe hos Spiritus *cœleſti* gaudere *felicitate* fatetur; ſic conſummati, perfectique, dici, ſine illius fruitione, non poſſunt. Hinc BRAVNIVS Sociniſtæ *Schlichtingii* opinionem, ſecundum quam ſpiritus ſuperſint, merus autem ſpiritus ſit nihil, fluere dicit *ex ſordidis illis cloacis, mortuos eſſe extinctos, nullaque frui felicitate ante reſurrectionem corporum.* x) Recte vero B. SEB. SCHMIDIVS: *Bene hic locus*, inquit, *opponitur Græcis, qui animas negant frui gloria, & beata DEI viſione. Quod ſi verum foret, non magis ad* SPIRITVS, *quam ad* CORPORA, *acceſſiſſemus; cum tamen Apoſtolus ſatis clarum diſcrimen faciat.*

§. XXXIX. Cæterum, ut *piorum* animas ſtatim a

F mor-

t) In *Comment. ad h. l. p.* 388.
u) In *Comment ad C. XI*, 40. *p.* 358.
x) In *Comment. ad Ebr. XII*, 23. *p.* 888.

morte ad videndum Deum admitti; ſic invicem *reproborum* ſtatim a facie Dei rejici, æternisque cruciatibus damnari, exiſtimamus. Quod patet epulonis exemplo. Is enim, ſtatim ab exceſſu, detrudebatur ad locum ſupplicii. *Luc. XVI.* Quod ipſum generatim omnibus denunciat Apoſtolus, cum ait: *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. XVI, 17. Duo quippe occurrunt hominum genera in Scripturis, *Bonorum* & *Malorum*: *Fidelium* & *Infidelium*. Illi, per *viam anguſtam*, ad *coelum*; hi, per *latam* viam, ad *tartarum* tendunt. *Matth. VII, 23.* Illi, ut triticum, in horreum, congregantur; Hi, Zizaniorum inſtar, igne comburuntur, *cap. XIII, 30.* Illi cum Patriarchis in cœlo diſcumbent, hi in extremas tenebras detrudentur. Sodoma ſpeciatim & Gomorha etiam nunc dicuntur πυρὸς αἰωνίȣ δίκην ὑπέχȣσαι, *Jud. v. 7.* quod nempe in atrocisſimis ſceleribus, procul omni etiam ad pœnitendum inclinatione, fuerant a Deo judice deprehenſæ. Qualis autem *hinc quisque egreditur, talis in judicio præſentatur*, juxta Gregorium. y)

§. XL. Quæ utut in Scripturis fundata, & ab Eccleſia conſtanter defenſa fuerint, nihilominus

Qvarto nonnulli, *animas quidem, etiam ante extremum judicium, ad plenam æternæ felicitatis fruitionem admitti poſſe, concedunt; ſic tamen, ut omnes, quæ vel modico cum reatu, & ſordibus, e corpore diſceſſerint, prius ab iisdem purgandas, in eoque ſuffragiis etiam, precibusque, piorum juvandas eſſe, quam ad beatificam Dei viſionem admittantur, exiſtiment.*

§. XLI. Hæc autem opinio eſt (α) manifeſte *Papiſtica*, eoque nomine *ſuſpecta.* Supra enim dedimus *Canonem Synodi Florentinæ*, in quo Purgatorius ignis ſtabilitur. Communiter igitur Papiſtæ ſtatuunt, *dari locum*

cum

y) *In Dial. L. IV. c. 89.*

cum aliquem intermedium, Cœlos inter & infernum, in quo, poſt hanc vitam, animæ igne maxime cruciativo purgentur, quæ in hac vita perfecte purgatæ non fuerint, ut ita purgatæ Cœlum valeant ingredi, accedentibus etiam, quibus juvari poſſint, ſuffragiis vivorum, ut fere BELLARMINVS Purgatorium deſcribit. z) Quæ quidem uti a Theologi, cujus ſupra epiſtolam dedimus, opinione parum abeunt, quod mutua verborum collatio docebit; ſic fieri non poterat, quin ob hoc ipſum, quod queritur, a nonnullis haberetur Papiſta. Namque & P. POIRETVS, cum cetera fanaticorum turba, errorem de *Purgatorio defenſura*, Papiſtarum ſeſe ſuffragiis, & auctoritatibus tuetur.

§. XLII. Nihil autem minus hæc opinio eſt, (β) quam *Lutherano-Evangelica*, & *noſtra*. Improbatus enim eſt error de Purgatorio in APOLOGIA A. C. imprimisque *Articulis* SMALCALDICIS, in quibus omnis ſimpliciter ſtatus intermedius, precesque, ac miſſæ pro defunctis, rejiciuntur. *Purgatorium*, inquiunt CONFESSORES, *& quicquid ei ſolennitatis, cultus, & quæſtus adhæret, mera Diaboli larva eſt*, h. e. figmentum, quod Patri mendaciorum, Diabolo, debetur. a) Alibi vero LVTHERVS: *Siehe zu*, inquit, *das 2. B. der Macc. iſt verworffen und ungewiß: der Text ſagt nichts vom Fegfeuer, und Judas hatte kein Gottes Wort vor ſich, heiſts uns auch nicht nachthun: glaubt ſelbſt kein Fegfeuer, und iſt alles im A. Teſtament geſchehen, da kein Fegfeuer geweſen iſt, und gilt ſolch Exempel und Werck nicht mehr im Neuen Teſtament. So folgen ſie auch darzu ſeinem Exempel nicht, erdichten die Meſſe für ein Opfer, und führen gleichwohl dieſen Text aufs Fegfeuer, wie gar ſchändlich*

z) *L. I. c. 1.* de Purg. *Conf.* SCHERZ. in *Anti-Bellarm. p.* 433.
a) Vid. ARTICVLI SMALCALD. *P. II. Art.* 2. de Miſſa *p.* 484.

iſt doch das alles durchſtuncken, und durchlogen. b) Conferatur *T. III. f. 34. 512. & T. VIII. f. 382.*

§. XLIII. Interim (*y*) putida hæc opinio, defendi cœpit ab iis, qui, cum noſtri videri vellent, ſub pietatis reducendæ prætextu, inde a multis annis, turbas noſtrate in Eccleſia dederunt. Epiſtolam Theologi, cetera famigeratiſſimi, at eundem hunc errorem non obſcure foventis, ſub ipſum ſuperioris Seculi finem hoc de argumento ſcriptam, exhibuimus ſupra. Notentur in ea ſigillatim verba: *Noch biß dato hat man mich am allermeiſten darüber faſt vor einen Papiſten halten wollen, weil NB. das Gebet vor verſtorbene Feinde kräfftig halte, welches daher rühret, daß, vom Zuſtand der Seelen nach dem Tode, eine faſt durchgehends graſſirende Unwiſſenheit, oder vielmehr affectirte irrige Meinung, die Augen blendet, daß nichts gemeiners iſt, als, von Mund auf gen Himmel fahren wollen. &c.* Atque, ut errores eundo vires acquirunt, ſic tribus poſt annis prodiit *die Betrachtung von dem mittlern Zuſtande der Seelen, nach ihrem Abſchied aus dem Leibe, durch etliche Wahrheit, und Gerechtigkeit ſuchende Evangeliſche Chriſten &c.* Hi orcum adhuc vacuum, & in extremo demum die peccatoribus in Spiritum S. & Diabolis implendum, *p. 240.* tandem vero prorſus extingvendum eſſe *p. 300. ſq.* docebant. Interim nova animarum purgatoria ſuccendebant, ad quæ illos præcipue ablegabant, quibus, paulo ante mortem pœnitentiam agentibus, tantum vitæ ſpatium non reſtiterit, quantum ad peccatorum ſordes plene expurgandas fuerit requiſitum. Quem vero libellum, impie ſcriptum, unica, ſed oppido erudita, diſſertatione, c) confutatum dedit, divus

b) Vid. *T. V. Jen. germ. in Wiederruff vom Fegefeuer f.* 163.
c) de *novis Fanaticorum purgatoriis. Lipſ.* 1703.

divus ITTIGIVS. Semina errorum unde hauſerit, facile aſſequetur, qui meminit, Chiliaſmum olim Patribus quibusdam eandem errandi occaſionem dediſſe, quod ſupra cum JO. MEISNERO docuimus. Hic igitur cum ſub id tempus denuo propalaretur a multis, anno hujus ſeculi quarto evulgatus eſt libellus anonymi *von nothwendiger Reinigung und Heiligung der Seelen in, oder nach dieſem Leben*, in quo excitabatur cumprimis SUSO, ſingularis alioqui ſanctimoniæ opinione celebris, *in Lib. von X. Stuffen der Chriſten, teſtatus: Daß zu ſeiner Zeit in der gantzen Chriſtenheit, göttlichem Berichte nach, kaum einige wenige geweſen, die es in der Gnade Chriſti ſo weit gebracht hätten, daß ſie nach ihrem Tode* unmittelbahr *zum Anſchauen GOttes gelangen, und ohne mehrere ſchmertzhaffte Seelen-Reinigung forthin bleiben würden.* Provocabatur ab eodem ad conſenſum omnium gentium, etiam Mahumedicarum, & urgebatur, purgatorium a Chriſtianis nullo non tempore eſſe creditum, utpote in *Concilio Florentino, canone primo & ultimo*, ubi omnes Epiſcopi Græci, uno *Marco Epheſino* dempto, faſſi fuerint, ſe ſemper crediſſe ignem Purgatorium, eosdemque Anno 1639. Patriarcham ſuum *Cyrillum Lucarim* in Concilio CPtano ea etiam de cauſa rejeciſſe, quia docuerit, mortuos, nec precibus, nec eleemoſynis, juvari. Latinam Eccleſiam purgatorium ultra M. annos credere: (atqui paulo antea *nullo non tempore* creditum fuiſſe ſcripſerat;) Lutherum diu rejicere noluiſſe, donec, præ furore erga Papiſtas, id fecerit. Inter Evangelicos tamen nunquam defuiſſe, (quinam hi fuerint?) qui Lutherum hac in re modum exceſſiſſe putarent. &c. Adſtipulatur P. POIRET: *Ich bin der Meinung*, inquit, *daß die Seelen, die in der Gnade GOttes ſterben, und in währenden dieſen Leben nicht vollkömmlich geheiliget ſind, des Anſchauens GOttes, und*

der völligen Vereinigung mit Jhm, nicht genieſſen können, es ſey denn, daß Sie nach ihrem Tode, und vor ſolcher Genieſſung GOttes, groſſe Pein, und Schmertzen ausſtehen. Und dieſes halte ich vor eine der allergröſſeſten, allernützlichſten, und allergrundmäßigſten Warheiten. Allegat idem conſenſum TAULERI, KEMPISII, SUSONIS, CRUCIÆ, S. THERESIÆ, inprimisque JAC. BOEHMII. d) Et ab his etiam famoſus ille DIPPELIUS errorem accepiſſe videtur, cum ſcribit: *Was uns in dieſem Weg der Erniedrigung mit Chriſto und des Todes des Leibes der Sünden, rückſtändig bleibt, muſ noch in jener Welt, nach Ablegung der irrdiſchen Hütten, vollführet werden.* e) Calculum his adjicit J. C. SEIZIUS, ſtatuens *die Lehre vom mittlern Zuſtand der Seelen nach dem Tode, ſey eine Warheit*, f) GICHTELIUS, aliique plures. Deniqu D. EILMARUS, olim Müllhuſinus Antiſtes, Halenſ cuidam Eccleſiaſtæ tribuit hanc doctrinam: *Es ſeyn unter ſchiedene Oerther der Seelen des Menſchen, wo ſie nach dem Tode gelehret werden &c.* g)

§. XLIV. Sed enim omnis hæc, de loco quodam inter medio animarum poſt mortem, perſvaſio, eſt nulla non e parte 1.) *ſacris literis manifeſto contraria.* Satis enim purga tionis hac in vita per ſanguinem JEſu CHriſti haber poſſumus, quippe qui nos *ab omni peccato mundat*, 1. Jo I. 7. *& purgat conſcientias noſtras, ab operibus mortu* Ebr. IX, 13. 14. Poſt mortem, quod novam expectemus pu gationem, non eſt. Nec enim ignibus purgatoriis tradunt morientes juſti, ſed ſunt *beati, qui moriuntur in Domino*, ver

d) Vid. *Oeconomiæ ejus div. T. IV. c. V. VI. VII.*
e) Vid. *Oel und Wein p.* 158. 159.
f) Vid. *V. N. ad Ann.* 1708. *p.* 555.
g) Vid. *Pietiſt. Fledermaus p.* 9.

veniunt ad pacem, *Jeſ. LVII. & Ap. XIV, 6.* In hac etiam ſe dimittendum eſſe lætabatur Simeon, nullo ſuſtinendi purgatorii metu occupatus, *Luc. II, 29.* Latro autem, qui, ſi quis alius unquam, ante, quam bearetur, purgandus eſſe videbatur, (nec enim, cum manifeſta in Spiritum veritatis injuria, eundem e ſceleratorum grege eximendum puto, cum aperte *Marc. XV, 27.* nominetur λῃςὴς,) eo ipſo, quo erat deceſſurus, die, cum Domino recipiendus erat in paradiſum. *Luc. XXIII, 43.* Cum Chriſto enim ſunt animæ piorum, ſimulac a corporibus ſeparantur per mortem. *Phil. I, 23.* Statim igitur a morte Lazarus in ſinum Abrahæ, dives Epulo ad infernum, delati ſunt, *Luc. XVI.* nullum quendam ſtatum intermedium, nedum ignem purgatorium, experturi. h) Ne repetamus ea, quæ ſupra, nec uno in loco, tradidimus.

§. XLV. Eſt inſuper 2.) *hæc opinio veteris Eccleſiæ doctoribus hinc ignota, hinc improbata.* Equidem Scriptor Anonymus *von nothwendiger Reinigung* &c. inde a M. annis creditum eſſe ſcribit purgatorium: at inde ab Apoſtolorum temporibus, vel etiam in N. Teſtamento creditum fuiſſe, affirmare non audet. Quapropter ad conſenſum, & approbationem totius antiquitatis Chriſtianæ, *des geſammten gottſeeligen Alterthums*, ſatis impudenter provocat. IRENÆVM, omnis prope Antiquitatis parentem, & Seculi II. Scriptorem, de ſtatu animarum ſic loqui, ut qui nullum ſciverit Purgatorium, ERASMVS annotavit, cujus cenſura, judice ITTIGIO, τῷ πάνυ, per expurgatorios indices expungi minime meruit. Nec IRENÆVS tantum, ſed & alii primitivæ Eccleſiæ Doctores de ſtatu animarum ita loquuntur, ut, qui nec Papiſtarum, nec Fanatico-

h) Conf. SCHERZERVS in *Anti-Bellarm. p. 436. ſq.*

ticorum purgatoria crediderint. Origenis, Cypriani, i) Hilarii, Macarii, Ephræmi Syri, aliorumque loca, videſis apud Ittigivm. Svlpitivs autem Severvs k) *O quam felix ille noſter exceſſus*, inquit, *cum a labe peccati melioris vitæ converſatione purgatos ſede ſua nos Chriſtus excipiet.* Ad quæ verba Clericvs obſervat: *Tum temporis nondum creditum purgatorium fuiſſe, cœpiſſe tamen quosdam ad illam ſententiam inclinari.* Allegat idem Avgvstini locum in libro de VIII. *Dulcitii quæſtionibus:* l) *Tale aliquid etiam poſt hanc Vitam fieri, incredibile non eſt, & utrum ita ſit, quæri poteſt.* Addit etiam, Avgvstinvm in enarratione *Pſ. XXXV. n. 3. confidentius ſtatuere purgatorium videri.* m) At nobis in memoriam revocamus clariora Hipponenſis loca, cum ait *Non datur ullus ulli medius locus, ut poſſit eſſe, niſi cum Diabolo, qui non eſt cum Chriſto.* n) Et alibi: *Duo loca ſunt, & tertius non eſt ullus. Qui cum Chriſto regnare non meruerit, cum Diabolo, absque dubitatione ulla, peribit.* o) Nec aliter ſenſit *Auctor Hypergnoſtici*, quem *Auguſtinum* fuiſſe, creditur vulgo: *Primum*, inquit, *locum fides Catholicorum divina auctoritate credit regnum eſſe Coelorum: ſecundum Gehennam, ubi omnis Apoſtata, vel a fide Chriſtiana alienus æterna ſupplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imo nec eſſe in Scripturis Sanctis invenimus.* Adſtipulatur huic Stephanvs *Æduenſis*, p) Sec. XII. cum ait: *Non eſt medium inter infernum, ubi eſt damnatio, & Cœlum, ubi eſt beatitudo & ſa-*

lus

i) In diſſert. laud. *de purgat. fanat.* §. XV.
k) *Epiſt. I. c.* 5.
l) *T. VI. ed. Bened. T. VI. f.* 128.
m) Vid. SULP. SEVERI OO. *cum epiſtolis a Clerico primum evulgatis Ao.* 1709.
n) *L. I. c.* 28. *de pecc. mer. & remiſſ. T. VII.*
o) In *Serm.* 232. de tempore.
p) De *ſacr. Altaris c.* 13. *col.* 579.

lus. WALDENSES & WICLEFITÆ ſimpliciter negarunt, nec tamen propterea erroris vel accuſati, vel damnati ſunt Conſtantiæ. Imo in ipſo Concilio Tridentino Archiepiſcopus *Lancianenſis*, *Pragenſis*, *Quinqueccleſienſis*, *Mutinenſis*, multique alii negaverunt. q) Quid multa? Purgatorium Florentiæ demum in concilio A. M CCCC XXXIX. tanquam rata, certaque, ſententia proponi cœpit, quod negari non poteſt. Unde & FISCHERVS ROFFENSIS r) non diſſimulat, apud priſcos nullam, vel certe rariſſimam, Purgatorii mentionem fieri, & paulo poſt *Purgatorium ſero cognitum*, & *receptum eſſe*, fatetur.

§. XLVI. Ex hactenus autem diſputatis hoc ſequitur, non eſſe, quod animas, poſt mortem, vivorum precibus ac ſuffragiis juvari exiſtimemus. Damus equidem, Veteres ſolitos fuiſſe, aliquando pro defunctis orare, at procul omni fundamento S. Literarum, fatente TERTULLIANO, qui ſcribit: *harum* (pro defunctis oblationum, addo & precum) *& aliarum hujusmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætendetur auctrix, conſvetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* s) Cui LVDOVICVS NOGAROTA ſubſcribit, dicens: *Orationes pro defunctis non eſſe ex Scriptura, ſed ex traditione.* t) Unus a Papiſtis, & Pſeud-Evangelicis urgeri locus ſolet *2. Macc. XII, 43.* de ſacrificio a Juda Maccabæo pro defunctis oblato. Sed Liber eſt Apocryphus, & narratio ipſa non immerito pro *interpolata* habetur, ut alia taceamus, quæ contra hunc locum afferri poterant, & apud RAINOLDVM, CHEMNICIVM, FRAN-

q) Vid. SVAVIS *in Hiſt. Conc. Trid. f.* 893. *&* 891. *ſq.*
r) In *refutat. Lutheri Art.* 18.
s) de *Coron. milit. c.* 4. *p.* 449.
t) de *Apoſt. Inſtit. tradit. XXXII.*

zium & Dorscheum, Gerhardum, alioſque, extant. Ceterum, quod Veteres etiam orare pro mortuis inſtituerunt, etſi a dulcedine memoriæ, communione fidelium, abundantia charitatis, aliisque id genus rationibus, facile poterat deduci, non male tamen Innocentius III. P. R. u) derivat hinc, quod nonnulli antiquiores crediderunt, Beatorum gloriam ſemper usque ad extremum Dei judicium augeri poſſe. Unde colligebant, licere ad Deum preces fundere pro gloriæ illius Sanctorum incremento. Cassander vero, etiam Imperatoribus percharus, fatetur, veteribus nec de ſtatu animarum, quibus ſuffragia prodeſſent, ſatis conſtitiſſe. Hoc tamen officium, ceu teſtimonium charitatis erga defunctos, & profeſſionem fidei de immortalitate animarum, & futura reſurrectione, Deo gratam, & Eccleſiæ utilem, ipſos judicaſſe. x)

§. XLVII. Quo magis in mentem mihi venit mirari, Theologum, ſupra excitatum, eundemque profeſſione Lutheranum, preces pro defunctis non modo licitas, ſed & efficaces, putaſſe. Scribit enim: *Man hat mich darüber für einem Papiſten halten wollen, weil das Gebeth vor verſtorbene Feinde kräfftig halte.* Enim vero inimici illi, pro quibus inſtituit orare, vel cum Deo & hominibus reconciliati fuerunt, antequam decederent, vel minus. Si reconciliati fuerunt, quorſum preces, quibus carere poſſunt? Sin minus? precibus juvari quî poterunt, qui fidei & charitatis expertes, ab irato Numine ex hac vita migrare juſſi, neceſſario ad orcum ſunt relegati, nî forſan ignem quendam Purgatorium ſtatuere velimus?

§. XLVIII. Pſeud-Evangelici recipiunt ſe ad verba Pauli *2. Tim. I. 18.* e quibus Hugo Grotius y) ipſis non

u) *Extr.* de *Celebr. Miſſæ Cap. Cum Marthæ §. ult.*
x) In *Conſult.* de *iter. Miſſæ p.* 219.
y) In *Voto pro pace.*

non improbantibus, intulit: *Paulum pro mortuo Oneſiphoro oraſſe.* Et, ni fallor, Theologus ſæpius allegatus ad eundem reſpicit, his verbis epiſtolæ: *daß wir, nach anleitender Ordnung der Schrifft, erſt aus dem ſtatu mortis aufferſtehen, und vor Gerichte* (darinnen man auch NB. Fürbitten ponderiret) *erſcheinen müſſen.* Verum enim vero, unde GROTIO conſtabat, Oneſiphorum jam mortuum fuiſſe, cum Paulus iſta ſcriberet? *Domui*, inquit, *Oneſiphori divinam miſericordiam apprecatur*, v. 16. & Cap. IV. 29. Domum Oneſiphori *ſalvere* jubet. Quaſi vero non, vivo adhuc & ſuperſtite Oneſiphoro, familiæ illius optima quæque apprecari potuerit? Quid, ſi ex Capite I, 17. Oneſiphorum, quo tempore Timotheus domui ejus, Pauli verbis, ſalutem dicere jubebatur, adhuc Romæ fuiſſe, colligas? *Certe vulgaris eſt traditio*, verba ſunt πολυμαθεςάτȣ ITTIGII, *quod Oneſiphorus in Epiſcopatu Epheſino Timotheo ſucceſſerit. Quæ traditio ſi vera eſt, neceſſe eſt, adhuc in vivis fuiſſe Oneſiphorum, cum Paulus ad Timotheum ſcriberet*, ut contra *Feuardentium* monuit CHAMIERIVS, z) præter quem conferri poterit RIVETVS. a)

§. XLIX. Fruſtra quis huic argumento colorem ab APOLOGIA C. A. b) quæſierit, negante, *nos probibere orationem pro mortuis.* Primo enim his verbis non, *quid* noſtra Eccleſia *ſtatuat*, ſed, *contra quid* diſputet, nempe, non contra *orationem*, ſed contra *oblationem pro mortuis*, docet, adeoque his verbis *ſtatum quæſtionis* definit, non, *quid de re ipſa ſtatuat*, exponit. Eſto autem deinceps, Apologiam eo in loco etiam ſuam de oratione pro mortuis ſententiam dicere voluiſſe, quid exinde ad

 oſten-

z) *T. III. Panſt. Cath. L. XXVI. c. 20. §. 4. ſq.*
a) *In Apolog. pro vera pace Eccleſ. T. III. OO. f.* 1095.
b) *Vid. Artic. III. Abuſ. de Miſſa p. m.* 434. *ed. Reinec.*

oſtendendum, preces etiam pro inimicis, iisque mortuis, efficaces eſſe? Aliud enim eſt, ut mortuorum animabus æternum bene ſit, corpora vero in monumentis quiete jaceant, optare; aliud, pro inimicorum animabus, ut vel apud inferos mitius crucientur, vel omnino citius a cruciatibus liberentur, & a Deo in gratiam recipiantur, orare. Prius illud, ſicut etiam nunc noſtrate in Eccleſia fieri, quoties funera e ſuggeſtu indicuntur, minime negamus; ſic meræ charitatis & voti eſſe, omnes intelligunt. Quid enim obſtat, quo minus etiam mortuis bene cupere ac bene precari queamus? Neque tamen propterea vel improborum pœnas apud inferos minui, vel etiam piorum præmia apud cœlites augeri, exiſtimamus. Augustinus equidem *etiam malis orationes prodeſſe cenſuit, ut tolerabilior illis fiat damnatio*, c) cum eoque ſenſit Chrysostomus. d) Damascenus autem, e) etiam *ex inferno damnatos per quorundam preces liberatos* fuiſſe, memorat. At, nihil hujus Apologeta ſtatuit, quod probe norat, preces noſtras nec licitas, nec efficaces eſſe, niſi Dei mandatis & promiſſionibus innitantur, quas tamen hic undiquaque deeſſe, nec in Scripturis oſtendi poſſe, ſupra probavimus.

§. L. Quinta opinio eſt illorum, *qui, & manifeſto impiorum, magnoque cum reatu vita functorum, animas, vel multo, vel paulo, ante judicium extremum ad beatificam Dei viſionem aſpiraturas putant, quod eædem vel apud inferos pœnitentiam agere, & a peccatis purgari, queant.*

§. LI.

c) *In Enchirid. c.* 110.
d) *Homil. III. ad Philipp.*
e) *In Orat. de Dormit. V. M.*

§. LI. Non dubito, fore pleroſque, qui hæc dogmata portentoſa, nec in ſancto Dei cœtu, illo cumprimis, qui ſacra repurgata ſequitur, ferenda eſſe, arbitrentur. At, nihil hodie tam impium, abſurdumque, fingi a quoquam, ſtatuive poteſt, quin vel doceatur impune, vel a rerum novarum ſtudioſis arripiatur cupide. Quo magis vellem, a talibus ſe prodigiis removiſſent, qui ſe noſtros eſſe, ac ſocios A. C. profeſſi ſunt. Sane LICHTSCHEIDIVS, f) vir alioqui apprime doctus, non ſolum, præter cœlum & infernum, alia quædam receptacula ſeparatis animabus aſſignat, &, ut VIGILANTIVS PLVSIVS g) ſententiam ejus exprimit, *piorum animabus locandis fabricat neſcio quas camerellas, impiis vero & damnatis ergaſtula, quibus poſterioribus etiam certos ſpiritus malignos, ut horum ſint cuſtodes, ſollicite præficit*; ſed & duos animarum cœtus e ſtatu damnationis tandem aliquando emerſuros cenſet. Nimirum, (1) *illas, quæ extra gratioſam Evangelii vocem ſubſtitere*: h) (2) *cunctabundas, quæ, utut audierint Evangelii præconium, per amorem tamen ſeculi decernendo conſulere ſibi non potuerint, Die Unentſchloſſenen, ut* LICHTSCHEIDIVS vocat. i)

§. LII. Ac nos quidem ſalutem æternam nemini mortalium, ne perditiſſimo quidem, ac profligatiſſimo, invidemus. Quin potius cum Eccleſia in precibus publicis, ut *omnium* promiſcue *hominum Deus* propter Filium *miſereatur*, oramus. Interim, cum idem ille non modo miſericors ſit, ſed & juſtus, certisque mediis, & rationibus gratiam ſuam diſpenſare inſtituerit, hujusque ſeculi

 limi-

f) *In den Chriſtlichen Gedancken über dem Büchlein vom ewigen Evang.*
g) *In Epiſt. III. p.* 25.
h) LICHTSCHEIDIVS *l. c. p.* 255.
i) *p.* 367.

limitibus circumſcripſerit, (quod Lichtscheidivs ipſe his verbis fatetur: *Er hält eine gewiſſe Gnaden - Ordnung, und hat ſelbige in die Zeit - Schrancken dieſer Welt eingeſchloßen;*) quî opinioni ejus adſtipulari queamus, non video. *Quinamcunque, quæſo, iſti ſunt*, verba ſunt Plusii l. c. *qui extra gratioſam evangelii vocem ſubſtitere hactenus, aut adhuc ſubſiſtunt? Nonne Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? 1. Tim. II, 4. Nonne pro omnibus mortuus eſt Chriſtus? 1. Joh. II, 2. Nonne gratia etiam invitatrix eſt univerſalis? 2. Tim. II, 11. Matth. XI, 28. XXVIII, 19. 20. Act. XVII, 30. Rom. X, 18. Vt Deus ingrato mundo ſingulis annis Apoſtolos mittat, nullo jure tenetur. Sufficit, quod ubique gentium, ne per unam quidem dieculam,* ἀμάρτυρον *ſeſe gerat, Act. XIV, 17. XVII, 27. Qui has gratiæ divitias ſpernit, ſuo merito gratia excidit. Sed & cunctabundis ſua ſtat ſententia.* Τῶν μὲν ἐπίγεια φρονοῦντων, τὸ τέλος ἀπώλεια. *Phil. III. 19. Non novi vos, audiunt cunctatrices illæ fatuæ, & ſi fores cœli pulſando tantum non rumpant ac frangant. Matth. XXV, 12. Fatetur quidem auctor p. 611. hanc ſuam opinionem, de liberandis olim quibusdam animabus tantis obvolutam eſſe tenebris, ut de ea ad populum verba facere non facile ſit auſurus.* At enim, *ſi obſcura illa, & tenebris involuta*, penes auditores ſuos propalare ediſſerereque dubitat, quî audet ſtridenti calamo propalare? Verum de his Plvsivs, & Innocentivm Relationem Avctores ad A. 1705. pluribus videantur. Id addo, eundem illum, cetera eruditum, mihique in pretio habitum, virum etiam Chiliaſticis ſomniis occupatum fuiſſe, ut adeo mirum non ſit, ex iisdem fontibus eosdem rivulos promanaſſe.

§. LIII.

§. LIII. Quod idem in Auctore *der Betrachtung von dem mittlern Zuſtand der Seelen nach ihrem Abſchied aus dem Leibe*, notamus. Vt enim iisdem erroribus inquinatus fuit; ſic eo uſque errando progreſſus eſt, ut etiam poſt hanc vitam, in purgatorio, pœnitentiæ locum futurum eſſe putaret. Hinc ait: *Es können diejenigen Seelen, ſo erſt angefangen ſich zu GOtt zu bekehren, und alſo auß dem Leibe ſcheiden, NB. nicht von Munde auf zur offenbahren Herrligkeit GOttes gelangen, ſondern ſie müſſen NB. nicht weniger, alß die noch im Leibe lebende, wie das Gold im Feuer geleutert, und durch viele ſcharffe Peinigungen und Anfechtungen, bewäret werden.* k) Quæ quidem ſi cum verbis epiſtolæ, ſuperius exhibitæ, conferantur, mira ſe prodet conſenſio. Et vero, quo valerent preces, pro inimicis mortuis, nî hi poſſent pœnitentiam agere, ſeque ex cruciatibus pœnitendo emergere? Negat tamen Scriptura, magnoque cum conſenſu negat, revocare quenquam ex orco gradum & ad Abrahæ ſinum euadere poſſe. *Luc. XVI, 26.* Trita, Patribusque dudum recepta, vox eſt: *Ex inferno nulla redemtio.* Fruſtraneæ igitur futuræ ſunt preces omnes, quæ pro animabus, ab inferis redimendis, funduntur. Vivis ſuccurrere precando, deprecandoque, poſſumus: Vita defunctis non poſſumus. Alioqui Abraham pater ἀϛοργιάς fuerit poſtulandus, quod, cum videret filium, epulonem, exquiſitiſſimis cruciatibus macerari, tamen, vel pro eodem deprecari, vel etiam modiculum aliquod ad eum conſolandum recreandumque conferre, noluerit. Vrget epulonis exemplum CHRYSOSTOMVS, l) ex eoque infert, quod, *dum hic currimus, ſpes præclaras habeamus, ſimulac vero hinc diſceſſerimus, pœnitentiæ non amplius ſit locus.* Idem alio loco

k) *p.* 109.
l) *Homil. II. de Lazaro.*

loco m) docet, eos, qui in præſenti vita peccata non abluerint, conſolationem poſtea inuenturos non eſſe.

§. LIV. Diſſentit tamen a Veteribus, juxta & Scripturis, adeoque damnatos e ſtatu miſeriarum, & cruciatuum, poſt actam apud inferos pœnitentiam, emerſuros eſſe credit, Jo. David Schaefer, Eccleſiaſtes olim in Francis, at qui ſanctis, queis fungebatur, muniis, ſponte ſua ſe abdicare hoc anno, quam erroribus chiliaſticis nuntium remittere, maluit. Edidit hic, hoc ipſo vertente anno, libellum, quem inſcripſit: *Ewiges Evangelium, oder die Lehre von dem 1000. jährigen und ewigen Reiche Chriſti und ſeinen heiligen, und der damit verknüpfften Wiederbringung aller Dinge in LXXV. Lehrſätzen &c. vorgeſtellet*: In quo ut totam propemodum ἀναλογίαν πίςεως Chriſtianæ fœdiſſimis locorum Scripturæ detorſionibus corrupit; ſic num. XLVIII. ponit: *diejenigen Menſchen werden viel auf eine herrlichere Weiſe ſeelig werden, die noch bey Leibes Leben den Weg der Seeligkeit recht zu wandeln ſuchen, alß welche* nach dieſem Leben *erſt aus dem Stande der Verdamniß zu derſelben erneuret werden.* Et num. *XLIX. Einige der Verdammten werden auß dem erſten, andere aber erſt auß dem andern Tode, in das Leben oder Seeligkeit wiedergebracht werden.* Quæ quidem, damnatos evaſuros aliquando eſſe mortem ſuam, & ad vitam nobis præparatam in cœlis venturos, tam aperte docent, apertius ut doceri vix queat. Neque tamen novus hic error eſt, ſed vetus, & pridem ab Eccleſia ſaniore proſcriptus. Jam Philastrivs: *alii ſunt*, inquit, *hæretici, qui dicunt, Dominum in infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem, etiam ibidem, renuntiaſſe*,

m) *In Cap. II. Ep. ad Ebræos.*

nuntiaſſe, ut confidentes ibidem ſalvarentur. n) Et AVGVSTINVS: *alia hæreſis*, inquit, *deſcendente ad inferos Chriſto, crediſſe incredulos, & omnes inde exiſtimat liberatos.* o)

§. LV. Neque tamen non SCHÆFERVS ſuas ſibi videtur rationes habere. In Poſitionibus enim *Num. LIII.* ſcribit: *Es iſt falſch, daß das Buße-Thun nach dieſem Leben keine ſtatt mehr finde*, cauſatus: (1) *Es ſtehe nirgends in der Schrifft, daß ſolches nur auf dieſe Lebens-Zeit eingeſchrencket werde.* (2) *Habe CHriſtus den Geiſtern im Gefängnis das Evangelium geprediget, nach* 1. Petr. III, 19. *und* Cap. IV, 6. *Deſſen Ankündigung aus keiner andern Abſicht zu geſchehen pflege, als, daß das Werck der Buſſe durch ſolche möge befördert werden.*

§. LVI. Initio autem mirari ſatis non poſſum levitatem, mobilitatemque, fanaticorum hominum, qui, cum plerique omnes Terminiſmo faveant, auſint tamen, quandam agendæ pœnitentiæ facultatem damnatis etiam poſt mortem tribuere. Si enim ob elapſum, quem ſtatuunt, gratiæ terminum, pœnitentiam agere *hac in vita* non poſſunt, etiamſi aliorum precibus juventur, qui poterunt agere *poſt mortem*, cum omnis pro iis deprecatio ceſſat? Deinceps tempus reconciliandi cum proximo *ad hanc vitam* reſtringitur. Jubemur enim parati eſſe *cito* ad reconciliandum cum adverſario, & quoad cum *eodem ſumus in via*, *Matth. V, 21.* Multo magis igitur ad hanc vitam reſtrictum erit tempus reconciliandi cum *Deo*, per pœnitentiam. Tertio, ſi juxta *Ebr. VI, 6.* fieri non poteſt, ut *hi ad pœnitentiam hac in vita renoventur*, qui

n) *In hæreſi de Chriſti ad inferos deſcenſu n.* 121.
o) *De hæreſ. n.* 79.

qui guſtarunt cœleſtia bona, & virtutes futuri ſeculi, quomodo renovari poterunt ad pœnitentiam poſt mortem, quod palam eſt, multo facilius aliquem renovari vivum ad pœnitentiam poſſe, quam mortuum. Dixeris, nonnullos propterea renovari ad pœnitentiam non poſſe, quia omnia pœnitentiæ agendæ ſubſidia contumaciter reſpuant. Sit ita; Sequetur autem, quod, quamdiu iſta reſpuunt, renovari ad pœnitentiam non poſſint. Numne vero *mortui* admittunt,quæ reſpuerant *vivi*? aut numne,qui reatum contumaciæ *finalis* ſecum e regno gratiæ in regnum juſtitiæ intulerant,apud inferos ſemetipſis facti ſunt meliores,& ad agendam pœnitentiam vel proniores, vel aptiores, quam quidem hac in vita fuerunt? Porro dixerim cum Apoſtolo: *Quomodo credent*, quomodo pœnitentiam agent, *qui verbum non audiverunt, quomodo autem audient absque prædicante*? Rom. X, 14. Cumque largiatur Chiliaſta, *daß diejenigen, welche die Ordnung deſſelben hier nicht wollen eingehen, das Gericht der Verdamniß, und die Offenbahrung des göttlichen Zornes über ſich erfahren ſollen*; Scriptura vero conſtanter doceat, *abeundum eſſe damnatis in ignem æternum, qui paratus ſit Diabolo, & Angelis ejus.* Matth. XXV, 41. ignem, qui perinde, ut vita piis deſtinata, futurus ſit æternus, quemque omnis ſimpliciter ſolatii expertes ſenſuri ſint; facile apparet, in fumum abire omnia, quæ de agenda apud inferos pœnitentia, finiendisque cruciatibus, a fanatico docentur.

§. LVII. Nec eſt, quare ſe ad loca, *1. Petr. III, 19. IV, 6.* recipiat. Nam quod ad *priorem* attinet, eum equidem jamdudum hanc in ſententiam accepit Alexandrinvs Clemens. p) Docet enim, non tantum eos, qui ſecundum

p) *L. VI. Strom.*

dum Legem vixerant non perfecte, ſed etiam illos, qui ſecundum philoſophiam, in cultu idolorum, fuiſſe ſervandos. Itaque poſt mortem prædicatum fuiſſe illis quidem a Chriſto, his vero ab Apoſtolis, ad prædicationis autem illius auditum fuiſſe converſos, ac proinde ſervatos. Hauſerat errorem ex HERMETIS *Paſtore*, quem quidem *Platonicis* infectum fuiſſe opinionibus conſtat. Refutarunt autem eundem GREGORIVS NAZIANZENVS, q) EPIPHANIVS, r) AVGVSTINVS, s) & alii. Interim a Pontificiis in gratiam Purgatorii & Limbi Patrum, quem ipſi ſomniant, admitti, repetique, cœpit. SALMERO enim Jeſuita, *Clementis Alex.* veſtigiis inhærens, in h. l. ſic commentatur: *Excluſis ſenſibus reliquis aſſerimus, Chriſtum, poſt emiſſum in cruce Spiritum, veniſſe ad Spiritus, qui in carcere inferni concluſi tenebantur, atque illis evangelizaſſe, ſive prædicaſſe, & reſurrectionem a mortuis illis futuram prædicaſſe, quod non tantum fuit, facto ſe Deum oſtendere, & Salvatorem mundi, ſed etiam verbis egiſſe, & bonos omnes, qui crediderunt, conſolatum fuiſſe, non tantum eos, qui ex ſemine Abrahæ nati ſpem ſalutis ſuæ de futuro Meſſia conceperant, ſed & eos, qui ex gentibus erant, & qui vitam probatam, non ſine Dei gratia & auxilio egerant, & credituri fuerant, ſi eo, quo venit Chriſtus, tempore vixiſſent, &c.* At enim vero tanti momenti quæſtio, qualis quidem eſt: *Numne damnati etiam apud inferos audire verbum Dei, concipere fidem, & agere pœnitentiam queant?* e locis Scripturæ multo clariſſimis fuerat decidenda, cum tamen is, quo de nunc agitur, *omnium pene interpretum judicio, ſit difficillimus*, ut

q) *Orat. XLII.*
r) *Hæreſi XLVI.*
s) AVGVSTINVS *Epiſt. XCIX. ad Evodiam.*

Estivs, Commentator inter Papiſtas minime abſurdus, ad eundem obſervat. Tum vero 2) non legitur, quod Chriſtus *prædicaverit Evangelium*, ſed ſimpliciter extat, ἐκήρυξε, quæ vox, abſolute poſita, ſignificat interdum, *publice, ac per præconem, quid edicere*. Quod ipſum non male creditur factum eſſe hoc ipſo, quod Chriſtus annunciavit victoriam, quam a peccato, morte, ac Diabolo reportarat, reportandam autem eſſe olim, a Noacho licet enixius moniti, credere dubitarant illi, quorum tunc animæ apud inferos pœnam contumaciæ luebant. Unde adeo 3) patet, prædicationem Chriſti non *verbalem*, ſed *realem*, intelligi, agique de *deſcenſu Chriſti ad inferos* glorioſo, id, quod vel ordo, collatioque verborum notabilis, inſinuare poterat. Medio enim inter paſſionem, mortificationem, & vivificationem ex una, reſurrectionem vero, aſcenſionem ad cœlos, & ſeſſionem ad dexteram patris, ex altera parte, loco ponitur, *cc. 18. 19. 21. 22.* quod Chriſtus abierit, & ſpiritibus in carcere prædicarit.

§. LIIX. Nec eſt, quare a *poſteriore* ſibi loco *Cap. IV, 6.* & verbis: *ad hæc enim mortuis prædicatum eſt Evangelium, ut judicentur quidem ſecundum homines carne, vivant autem juxta Deum ſpiritu*, multum ſibi præſidii promittat. Nolim equidem cum Pererio t) mortuos, pro *morituris*, vel *morti vicinis*, accipere, quod nulla ratio apparet, quare prædicatio Evangelii *morituris* potius naturaliter, quam *vivis*, fieri debuerit. Interim de *ſpiritualiter mortuis*, judicio noſtro, non male intelligetur. Hos enim in Scripturis crebro, etiam ſimpliciter, vocari *mortuos*, patet ex *Luc. IX, 60. Joh. V, 25. 1. Tim. V, 6.* Reſpondet etiam hæc expoſitio textui, ejusque ſcopo. Tum

t) *L. IX. in Germ. Diſp. XXV. n. 9.*

Tum vero dicit jam *prædicatum* eſſe Evangelium, non demum *prædicandum*. Denique notari merentur LVTHERI ad h. l. verba: *De mortuis*, inquit, *dicitur, quod judicentur in carne. Iam vero naturaliter mortui non habent carnem: Ergo intelligitur de hominibus in terra viventibus.* Mortui proinde h. l. dicuntur infideles, qui *judicantur*, id eſt, multa cruce macerantur *in carne: Vivunt* autem *ſpiritu*, quando regenerantur, & vivunt per fidem filii Dei, mundoque mortui vivunt Deo. Cum autem h. l. ne quidem de naturaliter morituris, nedum animabus a corpore ſeparatis, vel ſpiritibus, in carcere infernali agatur, quî ex eodem, quod vel Evangelium iis prædicari, vel per prædicatum pœnitentia & fides concipi queant, oſtendi poterit?

§. LIX. Veteres igitur, poſt mortem hominis, habere locum pœnitentiam poſſe, ſimpliciter negarunt. Inprimis id docet CLEMENS ROMANVS, u) ubi Corinthios hortatur, hac in vita, pœnitentiam agant, addita ratione, quod μετὰ τὸ ἐξελθεῖν ἡμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου, οὐκέτι δυνάμεθα ἐκεῖ ἐξομολογήσασθαι, ἢ μετανοεῖν ἔτι. Qua in ſententia & alii Eccleſiæ Doctores fuerunt, usque dum *lucroſum purgatorii dogma vicaria ſuperſtitum merita terrarum orbi commendaret, & venale cœlum haſtæ ſubmitteret*, ut Epiſcopus Oxonienſis, ad verba *Clementis*, argute annotat. Idem CYPRIANVS Carthaginenſis docet: *Quando illic exceſſum fuerit*, inquit, *nullus charitatis, nullus ſatisfactionis effectus.* x) Quem locum a BELLARMINI cavillationibus vindicat M. A. DE DOMINIS. y)

u) *In Epiſt. II. ad Corinth. c. 8.*
x) *Ad Demetrianum.*
y) *De R. E. L. V. c. 8. n. 67.*

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS z) in hac ſolum vita pœnitentiæ, ac remiſſionis peccatorum præſcriptum habere nos ſtatuit. EPIPHANIVS, a) contra Catharos diſputans, neque pietatis, neque pœnitentiæ πορισμὸν poſt hanc vitam dari, tradit. Sæpius hoc inculcat CHRYSOSTOMVS, b) idque ex parabola de *Lazaro & Epulone*, perinde ut *Auctor Quæſt. & Reſp. ad Orthodoxos*, probat. BASILIVS vero, nomine meritisque, magnus, etiam exemplo fatuarum virginum *Matth. XXV, 11. 12. ſq.* illuſtrat, c) & addit: μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀπαλλαγὴν ἐκ ἔςι καιρὸς κατορθωμάτων. AVGVSTINVS d) malos, poſt ſuum ex hac vita diſceſſum, nunquam ad lucem & bonitatem redire poſſe, confirmat. Denique DAMASCENVS e) angelis poſt lapſum, & hominibus impiis poſt mortem, omnem pœnitentiæ & ſalutis ſpem præcluſam eſſe teſtatur. Vt adeo totam, qua patet, antiquitatem, monſtrum hoc opinionis vel ignoraſſe, vel refugiſſe, videatur.

§. LX. Inſtat tamen fanaticus homo: *Ein anders ſey verdammt werden, und die Straffen ſeiner Sünden zu empfinden bekommen; Ein anders, von aller Erlangung der Seeligkeit ohn alles Ende außgeſchloßen werden.* Illud omnibus ſine acta pœnitentia ex hac vita migrantibus a Scriptura denuntiari: Poſterius, nullibi ab eadem doceri, nedum defendi. Addit: *Wer beydes vor einerley halten will, der muß unumgänglich in vielfältige Verdun-*

z) *Catech.* 18.
a) *Hæreſ. LIX.*
b) *Vid. Homil. II. de Laz.*
c) *In Moral. reg. l. e.* 5. *T. II. OO. f.* 412.
d) *Serm. LXVI. de tempore.*
e) *L. II. de O. F. c.* 4.

dunckelung, und Verdrehung der Schrifft, fallen und gerathen. Nimirum, ni quis *Chiliaſmo* & *Origeniſmo*, ſeu *Reſtitutioni rerum omnium*, ſubſcribat, obſcurationem, & detorſionem SS. literarum, effugere non poteſt. Quid autem opus eſt præpoſtera illa ſubtilitate, vel diſtinctione inter damnationem, & ab omni ſpe veniæ & ſalutis excluſionem? Cum enim damnari & ſalvari, ſtylo Scripturæ, ſibi mutuo opponantur, fieri nequit, quin unum alterum perpetuo excludat. Qui ergo ſemel damnatus fuit, ab omni ſpe recuperandæ ſalutis excluſus eſt, nec magis, faciliusve ad cœleſtem aſpirare felicitatem poteſt, quam ſemel ſalvatus, & in beatiſſimum Dei conſpectum admiſſus, ad inferos detrudi. A ſinu enim Abrahæ ad tartara, & a tartaris ad ſinum Abrahæ non datur tranſitus. *Luc. XVI, 26.* Nimirum qui damnantur, ad pœnas non alias, quam *æternas*, damnantur. Impii enim ingredientur in ignem æternum, & inextinctum *Matth. III, 12. & c. XXV. ult.*

§. LXI. Excipit idem ad extremum: Ignem inextinctum dici *von der Aneinanderwährung, nicht Immerwährung;* non, quia ſine fine ſit duraturus, ſed quod continenter duret, ut adeo *intervallum urendi*, & damnatorum reſpiratio, non *finis*, negetur. At, quid opus eſt iſtis cavillationibus in re manifeſta? Et quid tandem eſt, corrumpere Scripturam, ſi hoc non eſt? Nam, quod incruſtandæ ſententiæ adducit, ignem in ara templi etiam dici ἄσβεστον, & perpetuum, & nunc nihilominus extinctum, id vero, quam ſit frivolum, omnes intelligunt. Cum enim ultro fateatur, aliam eſſe indolem ignis in inferno, quam olim fuerit ignis in templo, quare ab hoc audet argumentari ad illum? Ignem ſane apud inferos non modo continenter durare, ſed etiam procul fine

fine duraturum eſſe, pondus, quod eſt adjectum, docet. Ardebit nempe, & *non extinguetur*. Jeſ. XXXIV, 9. Qui enim non credit in filium, vitam non habet, ſed ira Dei *manet* ſuper eo. *Job. III, 36.* Faceſſat igitur damnata illa, de agenda etiam poſt mortem apud inferos pœnitentia, expectandaque hominis regeneratione, & demum finiendis in gehenna ſuppliciis, perſvaſio, innumerabilem hominum multitudinem, ni Deus prohibeat, perditura. Securitatem enim animis hominum inducit, metumque ſupplicii apud inferos eximit, quod homines permulti aliquando vix æternos cruciatus formidant, nedum aliquando terminandos. Tum vero, ſub pietatis larva, omnem veræ pietatis ſenſum extinguit, ac denique, ſub dulci Evangelii nomine, verum Evangelii fructum, æternam ſcilicet felicitatem, intervertit.

T A N T V M.